



# De republica Germaniae, seu imperio constituendo.

<https://hdl.handle.net/1874/454976>

DE REPVBLI-  
CA GERMANIÆ, SEV  
IMPERIO CONSTI-  
TVENDO.

IVLIVS PFLVG EPISCOPVS.

*Numburgensis ad Germanos.*



ANTVERPIÆ,

Ex officina Gulielmi Siluij, Regij Typographi

ANNO 1563.

DE REPUBLICA

GERMANIAE SEU

PRIVILEGIJ TENOR.

LENDO.

**L**ITTERIS Regijs cautū est ne quis librum hunc, cui titulus est De Repub. Germania seu Imperio constituēdo auctore Iulio; Episcopo Numburgensi, præter Guliel. Silvium suæ Maieſt. Typographum intra annos sex proximos, in omnibus hisce suæ Maieſt. ditionibus vlllo modo excudere, aut alibi excusum distrahere audeat, qui secus fecerit, plectetur ex tenore Privilegij dati Bruxelle 23. Iunij, 1562.



ANTWERPIÆ

Ex officina Gulielmi Silvij, Regij Typographi.

ANNO 1562.



## AD GERMANOS.



Um animaduertam, Principes populique Germani, Rempublicam nationis nostræ hoc tempore suo grauitè laborare, incredibile est, quanta animi sollicitudine afficiar.

Quando enim maiores nostri hanc nobis satis beatam reliquerunt, si ea fortè consideret, statuere non facile possem, vtrum id miserius futurum esset nobis, an verò turpius; cum præsertim nullum illius malū a nobis seiunctum esse possit, & talis se offerat occasio hoc tempore, vt Respublica eadē nostrā non solūm conseruari, sed etiam ornari facile possit. Quo minus committendum puto, vt hanc non complectamur animis omnes, nec in eam, quantum pro sua quisq; nostrum virili parte potest, cōferamus. Quod vero ad me attinet, etsi tenue est, quod possum ego, tamen ne desim meo erga Germaniam nostram qualicumque officio, quæ mihi de huius commodis ornamentisque omnibus cogitanti in mentem veniunt, explicare conabor; vt si fortè euentus bonus voluntati meæ atque consilio respōderit, res nostræ secundæ non minus me delectent, quàm aduersæ hoc tempore cruciant: sin minus, hæc tamen vox meæ perpetuæ erga patriā voluntatis testis esse possit. Ac quia operā dare debemus omnes, qui caritate patriæ mouemur, vt status eius sit longe optimus: præclare agitur nobiscum, quòd maiores nostri Rempub. nostram tam bene constituerunt, vt



nunc non de noua huius forma inducenda, sed de veteri vel retinenda, vel recuperanda consilium nos inire oporteat. Itaque primo ostendam, vt illa e calamitoso quodam statu suo in eum, qui plane beatus esset, fuerit translata, cum Imperium eius initio constitueretur; deinde labe, quas postea ita contraxit, vt a beato illo statu in calamitosum recideret, monstrabo. Postremò qua via & ratione non solum restitui ea in locum, vnde decidit, bonum, sed etiam excoli atq; amplificari possit, docebo. Attendite igitur Principes populiq; Germani, & id tribuite mihi, vt si non inutilia dixerò, ea ne repudietis. Atque vt, quæ de statu Reipub. nostræ primo loco dicenda sunt, afferam, constat Rempublicam omnem sic institui, vt vel vnus summæ eius præsit; vel optimates aliquot paricum potestate, vel penes populum sit eiusdem regendæ potestas. Etsi autem postrema hæc forma in ciuitates & populos nõ ita magnos vtiliter cadere potest, magnis tamen gentibus atque nationibus non est satis accommodata. In quibus nisi existant Magistratus, qui multitudini nobilitate atque opibus antecellant, hæc ægre in officio contineri potest. Quare cum initio homines cœtus inter se celebrare cœpissent, inuenta est Regum potestas, eaque talis, vt singuli singulis populis cum imperio præessent, ius dicerent, tuerentur bonos, & sceleratos coercerent. Quod ad eas, quæ constitutæ fuerant, hominum societates tuendas cum primis aptum esse videbatur.

tur. Et quanquam forma hæc Reipublicæ quod ad similitudinem procurationis eius, qua Deus vnus vniuersum hoc quod cernimus moderatur, proxime accederet, fuit omnium optima: inductus est tamen postea Optimatū status; cum nec vnus, nec multi, sed pauci, ijquæ dignitate & potestate inter se pares, singulas Respub. gererent. Atque hoc genus etsi per se bonum, & ciuitatibus liberis vtile semper fuit, tamen nec ipsum gentibus maioribus æque ac Regia potestas conducere potuit. Nam vnus in Republica Princeps, qui potestate sua aliorum omnium potestatem complectitur, nec vllum habet summi honoris socium, concordem, quietū atque beatum Reipub. statum facilius, quàm Optimatum procuratio retinere potest. Quippe cum vsu veniat, vt inter eos, qui pari sunt cum potestate, facile nascātur simultates, e simultatibus factiones, e factionibus autem motus graues atque rebus publicis perniciosi. Cuius quidem rei documentum statuerunt Græci eo tempore, cum & sapientiæ, & eloquentiæ, & rei militaris gloria florent maxime. Nam cum ciuitates horum singulæ suos haberent Magistratus, qui pari cum potestate forent: & tamen quidam eorundem, vt fit, summam rerum appetere, & alijs Græcis imperare cuperent: extiterunt sæpe in natione eorum bella intestina, & ipsi patriam suam ijs armis, quibus defendere debebant, miserandum in modū dilacerauerunt; cum modò Athenienses & Megarenses, modò Athenienses &



Lacedæmonij, modò Lacedæmonij atq; Thebani inter se bella infestis animis gererēt, & seipfos ita conficerēt, vt fracti tandem atq; debilitati in Macedonum potestatem concederent, & dura seruitute opprimerentur. Quo tempore visum fuit Græcis ad Rempub. nationis suæ bene administrandam hoc vnum deesse, quòd eadem non vnus imperio vniuersa contineretur. Et quanquam Romanorum Respublica, cum post Reges exactos ab Optimatibus regeretur, & creuit mirabiliter & effloruit: id tamen, cū illi intra mœnia vnus vr- bis concluderētur, nec horū quisq; tam diu magistratum suū gereret vt Rempub. premere grauius posset, fuit aliquanto facilius, quàm si locorū interuallo disiuncti alij alijs ciuitatibus, aut populis præessent. Sit igitur positum hoc atque fixū, quod ratio summa atq; ipse rerum euentus declarat, gentibus magnis atq; nationibus eam Reipub. formam, quæ vnum habet Principem, longe aptissimam esse atque vtilissimam. Nunc verò, vt hæc ad rem, de qua hoc loco agimus, cōferantur, sic habetote, Rempub. nationis nostræ primò multos Principes atq; Reges, qui pari essent cum potestate habuisse: sed postea quàm Imperium eius cōstitutum fuit, vni Imperatori procurationem huius summā creditam fuisse atq; commissam. Et quanquam ex ijs, quæ iam diximus, perspicuum est vter Reipub. status prior ne ille, an posterior per se melior fuerit, & publicis huius rationibus vtilior, tamen non puto alienū esse ab instituto nostro, si de eo ipso paulo accuratius, explicatiúsque



tiúsque egero. Constat e veteri annaliũ memoria maiores nostros fidei, constãtiæ & fortitudinis gloria semper floruisse: verũ tamen cum nec dum in vnũ quasi corpus coaluissent, non modò non Imperium constituere potuissent sibi, sed nec sua, vt oportebat, tutatos fuisse atq; conseruasse. Nam cum qui præessent Reges singulis populis pari cum potestate imperarèt, nec legibus, nec iure æquabili inter se iungerentur, in comune consuluerunt minime: sed potius horũ quisq; ad priuata commoda sua omnia retulit. Quin iidem ob causas nescio quas & iniurias, quas Reipublice donare potius, quàm cum huius damno persequi debent, bellis inter se grauib; sæpe conflictati fuerunt. Hinc peruersus ille mos, vt & patriam suam vexarent, & agros quisq; vicinorum, si posset, popularetur, nec sociorum armis, in quibus nullum præsidium sibi positum esset, sed vasta potius solitudine sua munire vellet; eaque non satis tuta esse arbitraretur, nisi a regno suo vicinorũ possessiones quàm longissime dimouisset. Quanquã autem nationis nostræ Respub. in hunc statum malum atque prauum inciderat, tamen fortitudo maiorum nostrorum atque rei militaris gloria exterar; gentes terruit, ne eos armis facillè lacerarent. Et Romani ipsi non antè, quàm Asiæ, Africæ, atq; toti fere Europæ imperarent, eis bellum intulerunt. Sed tamen cum cernerent, maiores nostros in factiones distractos esse, arte magis atq; callida consiliorum ratione, quàm vi & armis ipsos debilitare atque opprimere

mere studuerunt. Vt enim Philippus Macedonum Rex  
 similitates atque inimicitias ciuitatum Græciæ olim  
 aluit, easque ita commisit inter se, vt suis ipsæ armis  
 frangerentur: ita Romani materiam seditionibus, atque  
 intestinis bellis maiorum nostrorum subiecerunt, vt  
 gens bellicosa suis ipsa viribus conficeretur. Non du-  
 bitarat Germanicus eo tempore, quo Tyberius Ro-  
 mæ imperabat, Cattis atque Cheruscis strenuis atque  
 fortibus Germaniæ populis bellum inferre. Et quan-  
 quam cum his prælia quædam fecerat secunda, tamen  
 cum Ariminus, qui contra illum arma tulerat, inuictus  
 animo bellum ita semper redintegraret, vt laesus  
 esse potius quam victus videretur, & clades illa fune-  
 sta, quam Quintilius Varus ab eodem Ariminio acce-  
 perat, in memoria atque sensibus Romanorum adhuc hæ-  
 reret: eam consilij ratione iniuit Tyberius, vt Germa-  
 nicus ab armis discederet, & relinqueret locum maiori-  
 bus nostris conflictandi inter se, vt tandem debilitati mal-  
 lent in Romanorum, quorum ope indigerent, potestatem  
 concedere vltro, quam vicinorum iniurias ferre. Neque  
 vero Imperatorem hæc spes sua fefellit. Nam inuentus  
 est non ita multo post Maroboduus Sueuorum rex,  
 qui vt Romanis rem gratam faceret, Ariminio, qui  
 Cheruscis atque Longobardos ducebat, bellum in-  
 ferret. Quo confecto Drusus Catualdam germanum po-  
 tetem sane hominem excitauit, vt in Maroboduum ob  
 iniuriam, quam ab eo se accepisse arbitrabatur, impetum  
 faceret. Ac cum hic ab hoste illo suo victus & regno  
 pulsus



pulsus foret, fecit Tyberius vt Rauennam migraret, & homo magnus ac nobilis a Sueuis suis diuulsus in hoc perpetuo quasi exilio reliquum ætatis suæ cõsumeret. Verum cum postea Marobodui factio Catualdam ditione, quam habuerat, vicissim exuisset, fuit hic quidẽ a Romanis in Galliam Narbonensem missus, & quodam modo relegatus. Atq; ita Principes ambo erepti fuerunt Germaniæ, vt quanto plus præsidij in vtriusq; consilio atque potentia nationi huic nostræ positum esse videbatur, tanto magis vires eiusdem extenuarentur. Secuta sunt deinceps ea, quæ Tyberius præuiderat: vt cum maiores nostri intestinis motibus multũ sanguinis ciuilibus haussissent, seq; attriuissent ipsos, magna ad imperium Romanũ accessio fieret; & populi quidam Germaniæ non inuiti in Romanorũ potestatem veniret, vt horũ præsidio cõtra vicinos infestos muniarentur. Et quanquam postea eorũdem virtute magna sæpe ac periculosa bella feliciter confecta fuerunt: tamen ea fuit ipsorũ cõdicio, vt, cũ maximas res sub alienis auspicijs gererent, sibi tamen atq; patriæ cõmuni nullum honoris atq; dignitatis splendorem acquirerent; acquirerent dico: immo quanto magis opes alienas, easq; libertati suæ infestas, firmarent, tanto plus detrimenti patria nostra caperet, eiũsq; libertas magis labefactaretur. Cum præsertim arma, quibus gloriose vti possent pro arbitratu eorum in quorum potestate erant, non solũ contra exteras gẽtes, sed etiam contra Germanos qui libertatem suã defendebant, ferret,

B

atque



atque adeo patriam ipsam oppugnarent. Sed quorum  
 hæc? Vt intelligi possit, qualis fuerit Germaniæ no-  
 stræ status eo tempore, cum non vnus, sed paucorum  
 imperio regeretur. Cuius calamitas documentum de-  
 dit, quàm illa Optimatũ potestas, aut paucorum do-  
 minatio per se non vtilis fuerit nationi nostræ, vel ad  
 libertatem retinendam, vel ad opes augendas, vel ad  
 gloriam, & verum decus pariendum. Quippe cū gens  
 præpotens, & ad imperium Orbis terræ nata ipsa sibi  
 plus damni, quàm cōmodi attulerit, quoad ei nec vir-  
 tus, nec rei militaris ars, sed ea imperij forma, qua om-  
 nes illius vires contraherentur in vnum atque iunge-  
 rentur, & illa beata animorũ cōsensus deesset. Ac Ger-  
 mania quidem nostra, cum semel oppressa esset, non  
 ante respirare potuit, quàm imperium Romanum sua  
 magnitudine, ac quasi mole laborans ruere inciperet.  
 Quo tempore maiores nostri non solùm in pristinam  
 libertatẽ se vindicarunt, sed irruerunt etiam in exte-  
 ras Romanorũ Prouincias, easq; vi & armis in suã po-  
 testatem redegerunt. Et quanquam tũ virtus eorũ ma-  
 gis, quàm ante, eluxit, tamẽ eam vim nõ habuit, vt pa-  
 triæ solidos, quos debebat, fructus ferret. Neq; enim  
 id quæsierunt milites nostri, eorũq; Duces vt quas ce-  
 pissent ciuitates, & populos gentesq; vicissent, adij-  
 cerent Imperio patriæ, quod nec dũ cōstitutũ erat, sed  
 vt illam intestinis factionibus dissipatam fugerent, &  
 in exteras Prouincias Romanorũ tanquã in colonias  
 migrarent; nec amplius de patriæ, sed earũ potius re-  
 gionum,

gionum, in quibus confedissent, commodis ornamentisque cogitarent. Hinc regna illa Europæ, quæ maiores nostri constituerunt, Galliæ Franci, Hispaniæ Gothi, Britannia Saxones, & Galliæ Cisalpinæ Longobardi. Prætereo hîc prudēs Sueuos, Vandalos, & Burgundiones, qui simul ac pedes suos e finibus patriæ nostræ extulerant, maximas res gesserunt. Sed hos omnes peregrinæ sedes, in quas migrarant, ita delectarunt, vt eas ipsas patriæ, in qua geniti erant, anteponeret. Cum tales essent maiorum nostrorum sensus atq; volûtates, etsi quascunq; Orbis terrę regiones peragrarent, in eis vestigia excellentis cuiusdam virtutis impressa relinquerent: id tamen parũ utilitatis Germaniæ nostrę attulit, nec ea ante, quàm in vnũ plane cõiret & in vnius potestate esset, efflorescere, & veram dignitatem cõsequi potuit. Quo melius de hac patria nostra meritus fuit Carolus ille Magnus, cũ Saxonũ populos potêtes & plane bellicosos diuturno bello domuit, non vt dederentur, sed vt cũ alijs potius Germaniæ populis coniungeretur. Quod postea quàm feliciter sane euenit, statuere nequeo, vtrũ id victis, an victori maiorẽ utilitatẽ attulerit. Nã hoc pulcerrimũ post homines natos factũ nõ minus salutare fuit Saxonibus atq; Germaniæ cunctę, quàm Carolo Imperatori gloriosum; cũ præsertim Princeps hic optimus Saxones alijs Germaniæ nostræ populis ita adiunxisset, vt nõ solum de Republica, sed etiam de religione Dei immortalis idem, quod hi, sentirent. Quo tempore cum ita natio nostra in vnum



coaluisset, vt & vnius imperio pareret vniuersa, & vnū Deum atque Dominum Iesum Christum veneraretur: tanto magis omni bonorum genere aucta fuit, quanto minus sub dominatione paucorum, eaque factiosa crescere potuerat. Nam eo tempore a moribus horridioribus ad eam mansuetudinem traducti fuerunt maiores nostri, vt legibus & iure æquabili viuerent libenter: nec patriam, vt antè, intestinis bellis dilacerarent; eiq̃ue vastitatem inferrent, sed iuuarent potius quibuscunq̃ rebus possent, atque tuerentur: nec solitudine delectarentur amplius, sed cœtibus hominum iure sociatorum, nihilq̃ue eorum, quæ ad Rempub. ornandâ pertinere videbantur, prætermitterent. Itaque vbi antè fuerant saltus ferarū congregati sunt maiores nostri, & cœtus inter se celebrare cœperunt; vbi delubra Idolorum atq; Dæmonū fuerant, templa, sedes atq; collegia Sacerdotū, qui nomen Dei vera cum pietate inuocarent, & pro vniuersa Ecclesia supplicarent, Sacris operarētur, & gregem Domini salubriter pascere, construxerunt. Vbi denique solitudines vastæ fuerant, cœnobia religiosorum atque Sanctorum hominum, qui quanto longius se a spinis huius mundi dimouissent, tanto diligentius Scripturas sacras euoluerent, & in res diuinas incumberent, constituerunt. Breuiter talis eo tēpore Germaniæ nostræ status collocatus fuit, vt in ea vigeret concordia, vigeret iustitia, vigeret pietas & religio vera; & qui summæ rerum præesset vnus, tanta cum potestate esset,



esset, vt statum illum Reipub. beatum conseruare, & seditiosos atque hostes patriæ coërcere facilè posset. Quare cum Respub. patriæ nostræ tam bene constituta esset, & vinculis illis optimis contineretur, non potuit non mirabiles sui amores excitare; nec inuenti sunt amplius populi Germaniæ nostræ, qui vt antè desererent hanc, & peregrinas sedes quærerēt; nec vtri alteros opprimerent, sed vtri de patria communi melius mererentur, inter se magna cum gloria certauerunt. Et cum maiores nostri virtutes tantas cum fortitudine, cuius gloria semper floruerant, coniunxissent, patriam non solùm singulari animorum consensione defenderunt, sed etiam, quibuscunque rebus possent, ornauerunt, & ipsi in oculis omnium gentium viuere cœperunt.

Iam verò etsi Carolus ille Magnus Imperiũ, quod virtus Romanorum in Occidente constituerat, recuperauit, id què non sine magno & Francorum & maiorum nostrorum honore, & ei vt Germano ob præclara in Rempub. merita diadema Imperatoriũ sollempni ritu impositum fuit; tamen cum liberi eius atque posteri Imperium hoc tãquam hereditatem paternã adirent, Gallia, quam ijdem incolebant, ita sibi idem Imperium vindicauit, vt possessione eius maiores nostros excludere conaretur. Sed cum post Arnulphum, qui magnum dedecus in gẽtem Carolinam intulerat, Imperium iterum labasceret, ab eóq; deficerent Pro-  
 uinciæ magne, cum nec magnum in familia illa præsi-  
 dium

dium sibi positum esse amplius sentirent; & Hunorū, qui erant infestissimi nominis Christiani hostes, opes indies magis ac magis crescerent; & tantæ essent, vt Germaniã etiã ipsam in periculū adducere viderentur: extitit Henricus Saxo, quem principem Aucupem maiores nostri appellarunt, cuius tanta, tamque excellens fuit virtus, vt non solū Germanorum, sed etiam, eorum qui in Gallia domicilium habebant, Francorum oculi in eum essent coniecti; idemque & lenire desiderium, quod sui reliquerant, superiores illi Carolini optimi principes: & damna, quæ post illos Imperium fecerat, sarcire posse videretur. Itaque cum maiores nostri summam rerum suarum ei commissent, easdem ita ille administravit, vt Principes nationis nostræ certos ad officium reuocaret; & robustissimas copias Hunorum, qui infestis signis & armis Saxonix bellum intulerant, ad Merseburgum proelio vinceret. Ex his quasi fontibus cum ille ad bonam omnium Christianarum gentium existimationem profluxisset, dignitas Imperatoria ad eum singulari earundem consensu delata fuit. Sed cum pro ea, quam e Spiritu sancto hauserat, modestia honorem amplissimum minime appeteret, nec alium e meritis erga Rempub. suis fructum repeteret, quàm vt publicis rationibus bene consuleretur: contentus eo, in quo collocatus erat, dignitatis gradu, in altiozem illum ascendere noluit. E quo facto eius incredibile est, quantum Christianæ virtutis eluxerit: &

gloria



gloria eius, quæ ipsum quasi fugientem persequi visa  
 fuit, quantum aucta cumulataque fuerit. Huius fi-  
 lius Otho princeps summa virtute, & talis plane, vt  
 eum Deus ad Imperium Orbis terræ recuperandum  
 genuisse videretur, cum patri de Germania nostra op-  
 time merito successisset: certe quam Rempublicâ no-  
 stram ab eo bene constitutam atq; pacatam accepe-  
 rat, non solum conseruauit, sed etiam auxit atq; mi-  
 rabiliter ornauit. Qui cum Belgas proelio victos at-  
 que fusos in potestate suâ redegisset, atq; imperio suo  
 Boiffaum Bohemorum principem, & populû eius for-  
 tem atq; bellicosum adiunxisset: & maximas Hunorû,  
 qui eo tempore videbantur perhorrescenda esse bello-  
 rum fulmina, copias deleuisset: certe virtus huius in  
 illustri quasi loco sita non potuit alijs gētibus obscu-  
 ra esse. Ac cum idem omnes ætatis suæ Reges & forti-  
 tudine, & rerum gestarû gloria superasset, nec haberet  
 quo cū certaret amplius, seipsum tãdem superare non  
 dubitauit. Quippe qui in maximis victorijs atq; triû-  
 phis pro ea, quâ Deus ipsi inseruerat, caritate ita mode-  
 ratus fuit cupiditates suas, vt neminẽ læderet, ius suû  
 cuiq; tribueret; & liberare eos, qui seruitute premerẽ-  
 tur, q̃ vllis durior esse mallet. Nouerat enim ita armis  
 suis vt, vt frãgeret supbos, oppressos subleuaret; & de  
 omnib<sup>9</sup>, quoad eius facere posset, bene mereretur. Nã  
 vbi Hugo vir nobilis atq; affinis eius, cuius magnẽ in  
 Gallia opes erãt, contra Ludouicum Regem, cuius in  
 potestate esse debebat, arma nefaria cepisset: tamen  
 Otho



Otho noster, e cuius regni illius res suas amplificare posset, maiorem officij quàm vtilitatis suæ rationem habuit. Nam exercitum quem compararat, satis magnum in Galliam duxit, tulit auxilium Regi; & Hugonem principis sui dicto audientem esse coëgit. Ac cum Berengarius & Græci Italiam vexarent, & ei nationi, quæ olim Orbi terræ ius dixisset, leges duriores imponerent: Romani perspecta Othonis atque maiorū nostrorum virtute, vt seruitute turpi liberarentur, fidem optimi huius Principis implorauerunt. Qui cum se non sibi solùm, sed etiam patriæ, nec sibi & patriæ tantùm, sed vniuersis gentibus, quæ ope sua indigerent, natum esse arbitraretur, Italiæ subuenit; Græcos in Calabria & Apulia profligauit; Berengarium autē insolentem compressit ac cepit; easque res in illo Orbis terræ quasi teatro gessit, vt omnium gētium animos in se conuerteret; nec facilè statuas, vtrum hic maiorem fortitudinis suæ, an iustitiæ atq; benignitatis fructum ceperit. Certe Itali cum beneficio ipsius ad spē pristinæ libertatis reuixissent, hunc ipsum tanquam vnum aliquem e cælo delapsum, qui rebus suis atque Christianorum omnium afflictis atque laborantibus succurreret, intuiti fuerunt atque obseruauerunt. Et quia maiorum nostrorum virtus illis ita affulserat, vt existimarent non modò non miserum esse in horum venire potestatem, sed beatū plane, salutatus est Otho a Romanis Imperator Orbis terræ, idquæ singulari totius Italiæ consensu & applausu; atq; ita dignitas hæc summa

summa cum regno nationis nostræ iterum se coniunxit. Habetis hîc Germani primordia Imperij nostri, & intelligitis præclare hoc ornamentum non vi vlla crudeliore, sed pietate potius erga Deum immortalem, fortitudine vera, iustitia atque benignitate nobis partum fuisse; immo Deum ad nos ita detulisse idem, vt ab eo iam tempore suum quasi domicilium in Germania nostra collocatum habuerit. Videtis iam, videtis Principes populiq; Germani, vt Respublica nationis nostræ effloruerit olim; nec rationes huius antè constitui potuisse, quàm penes vnum summa eius potestas esset. Ad quem honorem regium cum Imperatoria & dignitas & maiestas accederet, talis extitit Reipub. nostræ forma, vt melior ne excogitari quidem posset; & Germania nostra tanta honoris splendore fuit ornata, vt Sol hîc nullum vnquam dederit maiorem. Et quanquam Imperiũ, quod Otho ille Magnus in Germaniam nostram intulit, vel retulit potius, magnitudine ipsa non par fuit alijs imperijs, quorum singula in multas gentes potestatem habuerunt: nõ minus tamen fuit honore, & beneficentia multo maius. Quippe quòd ita se accommodauerat pietati atque legibus Christianis, vt quas vicisset gentes Barbaras non sibi magis quàm Christi regno adiungeret: ac Prouincias suas, socios atq; amicos ita tueretur, vt non tam Imperium, quàm quoddam Orbis terræ patrociniũ esse videretur. Cuius quidem rei cum Henricus primus fortissimus ille atq; optimus princeps rationem habe



ret, & Sarracenos a ceruicibus Italorum depulit, recepta, quam occupauerant, Capua, & cum Pannonie Regem fregisset, maluit hunc secum affinitate iungi, vt ipse atq; populus eius sacro baptisinate initiati Christi regnum augerent, quam in eos, a quibus maiores nostri graues iniurias acceperant, durius aliquid statuere. Quod Imperatoris beneficium prope diuinum quantam vtilitatem vniuerso Orbi Christiano peperit, non facile dixerim; certe illud satis constat Pannonos non minus ab eo iam tempore rebus Christianis profuisse, quam ante nocuerant. Nam quibus armis Christianorum sanguinem hauserant, eisdem postea Sarracenos atq; Turcas ita profligarunt, vt a nostris atq; alijs Christianarum gentium ceruicibus arcerentur. Nec minor fuit beneficentia huius eiusdem Imperatoris erga Sarmatas, erga Sarmatas dico; immo vero per Sarmatas erga vniuersum nomen Christianum. Nam cum Regem horum nouis rebus studentem ad officium reuocasset, facile passus est a se imperari vt eidem Regi eam ferret operam, qua Rutheni victi adiacerentur regno ipsius, & a superstitione ad Christi religionem salutare traducerentur. Quo tempore quanta accessio facta fuerit ad res Christianorum, & in virtute atq; potentia Sarmatarum alijs nationibus contra immanissimas Scytharum gentes quantum praesidij esse coeperit, res ipsa nobis etiam tacentibus declarat. Sinite me hoc loco praeterire Conradorum atq; Fredericorum nostrorum res fortissime gestas. Qui rebus Christianorum in Asia laborantibus succurrere, & Sarracenis infestissimis Christiani

stiani nominis hostibus, sua atq; maiorū nostrorum capita obijcere nō dubitauerunt. Nā horū consilia atq; facta fortia sigillatim cōmemorare nimis longū esset; illud tamen, quod & res & locus hic postulat, dicendum est omnino, maiores nostros eā iustitiā benignitatemq; cū fortitudine summa coniunxisse, vt ipsorū Imperiū magis beneficentia quàm vi constaret. Quippe cum non ad suā potentiā, sed Dei gloriam, & salutē Orbis terræ omnia ipsi referrent. Itaq; visum fuit beatū esse nō solū a maioribus nostris defendi, quoties opus esset, sed etiā vinci; cum libertatē pristinam non amitterent victi, sed vberiore potius libertate, quæ veram eis felicitatē in Domino nostro Iesu Christo afferret, cum larentur; nec maiorē victores ipsi, quàm victi fructum rerū ab illis bene gestarū consequerentur.

Nunc vero cum Respub. nostra tā bene constituta esset, & ei vnus Imperatoris principatus tantum bonorum pareret: ita quidē vsu venit, vt in ea plane beata atq; florente omnes omniū ordinū homines & beatius, & coniunctius inter se, quàm vlli vsquam exterarum nationum homines viuerent. Quippe cum nihil eorum, quæ ad optimum Reipublicæ statū pertinent, in ea desideraretur: nec trāquillitas, nec honestas, nec honor, nec dignitas; vt, ad quascunq; viuendi partes se maiores nostri darent, inuenirent quod rationibus suis aptum foret. Ad horum bonorum cumulum accessit religio Christiana & ius æquabile; quibus nihil melius vel esse, vel excogitari potest. Religio; qua



Christum seruatorem nostrum Optimum Maximum  
 singulari pietate colerent, & e Spiritu Sancto tantum  
 caritatis haurirent, vt idem plane & vellent & senti-  
 rent, & inter se arctissime iungeretur; & quod bono-  
 rum omnium caput est, Deum per eundem Christum  
 Dominum nostrum perpetuo propitium haberent.  
 Ius autem equabile; quo summi & infimi æque ita te-  
 neretur, nulli vt liceret in Republica nostra vim susci-  
 pere, ac eos qui minus possent, opprimere. Et quanquã  
 penes Imperatorem erat summa potestas, & videbatur  
 ipse Lex esse quædam viua atque loquens: maluit ta-  
 men maiores nostros vt iure scripto, eoque optimo,  
 quàm ad suum nutum reuocare omnia; neque id ini-  
 iuria. Est enim a Platone sapienter scriptum nullam  
 ciuitatem atque Rempub. in qua non lex magistratui,  
 sed magistratus legi imperat, diu conseruari posse. Ac  
 mea quidem sententia ius si scriptum sit, eo pluris fa-  
 ciendũ est, quod non, vt homo, gratia aut odio vllius  
 moueri, & ab eo, quod iustum est, flecti potest, sed po-  
 tius omnibus semper est æquum. Quando autem in  
 Repub. nationis nostræ religioni sic fuit lex adiuncta,  
 vt illa a maleficio auerteret volentes, hæc autem no-  
 lentes deterreret, & arma e manibus seditiosorum ex-  
 torqueret, homines nostri in officio facilè contineri  
 potuerunt; vt vitia fugerent, & recta officia perpetuo  
 præstarent. Breuiter ita comparatum fuit, vt singuli  
 singulorum ordinum homines in patria nostra sic vi-  
 uere possent, vt nuspiam melius beatiusq;.

Nã rustica  
plebs,

plebs, simul ac leges & iusta Imperatorū potestas Germaniā nostrā latrocinijs ac motibus intestinis repurgauerāt, tueri rē suā familiarē atq; agros colere melius, ex eisq; quos perciperet fructus exportare ad alios, ac vendere tuto potuit. Ac quo minus facultates huius ab ijs, quorum in potestate esset, exhauriri aut extenuari possent, cautū fuit, ne canō, quē in singulos annos pedere soleret, cōtra consuetudinē inueteratā augetur. Hinc plebis illius opes, diuitiæ, & vita beata. Urbana autē ab eo iam tēpore, quo Respublica nostra tā bene constituta fuit, non solum, vt ante, operis rem sibi parauit: sed etiam mercaturam exercuit, & in patria parata mirū in modū creuit. Quæ eadem vrbes, in quas se incluserat, sic muniuit atque ornauit, vt in eis tuto & honeste habitaret. Itaque in natione nostra tot extiterunt ciuitates liberæ atq; florentes, quot in nulla alia natione inuenias. Ac si quæ harū in potestate principum atq; nobiliū essent, harū libertati ita consuluerunt maiores nostri, vt nec ab eis vllū tributum extra ordinem exigi posset; nisi aut ordinū Germaniæ, aut procerum cuiusq; regionis cōsensus accederet. De nobilium autem ordine quid dicam? Ij quidē gradibus iam inde ita distincti fuerunt; vt qui summi essent, ornarētur Principū dignitate; Medij, comitum atq; Baronum; Infimi autem, equestris essent loci. Ac si vspiā, certe in Republica nationis nostræ magnæ & egregiæ Principum gētes versatæ sunt diu & populis magnis præfuerūt. Comites autem ipsi atq; Barones, quamuis



non tantum possent in Repub. nostra, quantum Prin-  
 cipes: tamen ita constitutę fuerunt rationes eorum, vt  
 locupletes essent; ac si non integras regiones, castella  
 tamen haberent: atq; territoria certa, quibus impera-  
 rent. Qui autem inferioris essent ordinis nobiles, cum  
 eorū virtute res militaris potissimū niteretur, in exer-  
 citibus maiorum nostrorū semper honestos duxerunt  
 ordines; & domi etiam habuerunt, quo honeste atque  
 vtiliter vitā agerent. Quippe cum rustica plebs & ca-  
 stella certa in potestate ipsorum essent, & ipsi in consi-  
 lia Principum & Imperatorum adhiberentur, & ciui-  
 libus muneribus, ijsquę honorificis fungeretur. Atq;  
 vt arma, quibus vterentur, haberēt expedita, & equos  
 atq; familiam militarem de suo alere possent, ita insti-  
 tutum fuit a maioribus nostris, vt censu abundarent,  
 nec patrimonij muneribus facultates eorum extenua-  
 rentur. Ac cum e censu, agris, & villis tantum, quātum  
 cuique ad se familiamquę suā alendam satis esset, per-  
 cipere, & rem suam honeste & sine alterius damno  
 augere possent: voluerūt maiores nostri, vt hisce emo-  
 lumentis contenti fenore atque mercatura abstinerēt;  
 eoquę ipso prudēter cautum fuit, ne si iidem illiberali  
 quęstus genere caperentur, angustiores redderentur  
 animi ipsorum; & suam pristinam magnitudinem, sine  
 qua nec domi neque militiae res bene geritur, amitte-  
 rent. Veruntamen cum illi rem suam familiarem non  
 æque, atque plebei homines, augere possent, vt hoc  
 ipsorum quasi damnū quoquo modo sarciretur, tri-  
 butum

butum fuit eis, vt ad honores cum ciuiles, tum vero etiam Ecclesiasticos acquirendos plus oportunitatis haberent. Quin patria nostra eum approbavit morem, vt non alij, quàm nobiles in collegia maiorum Ecclesiarum cooptarentur, & Ecclesia tanquam mater benigna eisdem suppeditaret, vnde commode viuere possent, vt egentibus succurrerent, Deum colerent perpetuo, & Ecclesiæ Christianæ vtilem sane operam nauarent. Ac quia ijdem in ora maris Baltici regiones magnas, Prussiam atque Liuoniam, sibi atque adeo Christo parere coegerant, in his & arces & ciuitates condiderunt: atque vt, quæ virtute magna & rebus fortissime gestis sibi ac patriæ peperissent, tuerentur, ex eisquæ emolumenta iusta caperent, institutus est ordo ille diuæ Virginis, qui regionum illarum potiretur; & cautum ne in hoc veluti sodalitiū, cuius partes erant cum gentibus Barbaris, & a religione nostrâ auersis bellum continenter gerere, alijs quàm nobilibus Germaniæ nostræ aditus pateret. Quod cum initio rei Christianæ propagandæ cum primis vtile fuerit, vellem equidem a finibus Barbarorum hostium dimoti non fuissent milites illi nostri; eoquæ minus negotiū, quod magno cum honore nationis nostræ, & vtilitate Reipublicæ Christianæ susceperant, intermisissent; nec coacti fuissent conflictari cum ijs, a quibus si adiuti fuissent, haud dubie maiorem vtrique virtutis suæ fructum cepissent. Sed vt illuc reuertar, constat ex ijs, quæ commemorauimus, postea



postea quàm Germania nostra in vnius venit potestatem, & Romani Imperij dignitas in eâ trāsata fuit, non solum de libertate huius decessisse nihil: sed omnes etiam omnium ordinum homines in ea & liberius & commodius, quàm vllæ vsquam gentes, vixisse. Quin tantum dignitatis atque honorū adeptos fuisse, quantum alij aliarum gētium homines vix optare auderēt. Quarum rerū cupiditas magnis animis ita sæpe innascitur, vt sine his se beatos esse posse minime existimēt. Est quidem ea iustitiæ ratio, quæ vni tantum tribuit quantum alteri, sub quam contractus atq; maleficia cadunt, ad retinendum bonum aliquem atque tranquillum Reipub. statum vehemēter apta; sed non minus apta, quæ præmia decernit bonis atque magnis viris; & dum condicionis cuiusq; virtutis, atq; meritorū rationem ducit, non tantum impertit infimis, quantum summis; nec tantum ijs, qui sua, quàm qui publica negotia curant. Atque vt vtraque iustitiæ ratio omnem hominum societatem probe tuetur, & concordia coniunctionemque fouet atque alit: ita si Respub. vlla vel vtramque, vel alteram desideret, nec concors hæc esse potest, neque beata; cum præsertim in ea magnam esse materiam, & quasi segetem odiorum atque factionum necesse sit. Quo melius constituta fuit Respublica Germaniæ nostræ, in qua Principes viri, qui summū nobilitatis splendorem e virtute maiorum suorum traherent, excelsam illam, in qua maiores ipsorum fuerant, dignitatis sedem hereditario iure obtinerēt; nec facile

hic eorum locus, cum alijs aliorum ordinum hominibus cōmunicaretur. Qui cum ita nati essent, vt in patria nostra & opibus, & honore florent, atq; ceteris omnibus antecellerēt: non fuit, cur eos aut condicio- nis suæ, aut patriæ, in qua tam honorati essent, pænitet. Quippe cum horum quidam in eo honoris gradu forent collocati, vt in comitijs Imperatorijs ius haberent suffragij ferendi: & virtus eorundem, cum summa nobilitate coniuncta, in ea ratione tantū haberet prærogatiue, vt ipsi sibi ad Imperatoriam dignitatem, qua nulla post hominum memoriam maior in vlllo regno extitit, viam patefacere possent. Et quanquam Comitum, si qui virtute excelleret, etiam ratio aliquoties habita fuit, tamen ad illam dignitatem summam summo nobilium ordini omnia semper faciliora fuerunt; vt non iniuria ex ijs, quæ vulgo euenerūt, statuere possimus illam in hoc eodem ordine sedem suā quodam modo posuisse. Verūtamen ne medijs atque infimi loci nobiles a magnis patriæ honoribus excluderētur, nec deterior esset horum condicio, qui labores pro patria graues susciperent, & se maximis periculis offerrent, quàm eorum qui in otio viuerent, & illorum beneficio forent beati: id quidem tributū fuit eisdem, si ad summā Imperatoris dignitatem aspirare minime possent, alijs tamen magnis in Repub. Principibus dignitate cōpararentur. Institutus est igitur in natione nostra certus Principum honor, ad quem nō tam maiorum imagines atque splendor, quàm virtus atq; pietas



cuiq; sua suffragaretur. Quem sane honorem ita maiores nostri adiunxerūt muneribus Antistitum, vt qui inferiorū essent ordinū nobiles, si quādo de more collegiorū Episcopi crearentur, Principū honore auge-  
rentur; & aliqui e numero horū Imperatoris deligēdi potestatem haberent. Quo honore secundū Imperatoriam atq; Regiam dignitatem nullus in Repub. nostra est maior, nullus excellētior. Ac ne virtuti sine nobilitate omnis ad maiores honores aditus claudi videretur, sunt Antistitum sedes certæ, nec ipsæ a Principum dignitate seiunctæ; quas maiores nostri plebeijs etiam hominibus, quorum insignis esset virtus atque pietas, assignatas voluerunt. Quod vero ad Imperatoriam dignitatem sigillatim attinet, quanto meliores, vberiorēsque fructus capiendi erant ex ea ipsa, tanto diligentius cauerunt maiores nostri, ne ad eam minus idonei obreperēt. Quare etsi verisimile erat e bonis parentibus bonos nasci liberos, tamen, quia res ipsa declarabat rem sæpe aliter euenire, Otho tertius de patria nostra optime meritus fuit; cum institueret, vt Imperatores non nascerentur, sed eligerētur; & dignitas hæc virtute potius, quàm fortuna acquireretur. Quod eam etiam vtilitatem attulit Reipub. nostræ, vt, cum penes Septemuiros, eosque dignitate præstantes, esset potestas Imperatoris deligendi, si quis beneficio horū crearetur Imperator, eo ipso patriæ nostræ ita deuinciretur, vt nisi in hanc pectore toto incūberet, turpem ingritudinis notā atq; infamiā vitare minime posset.

posset. Ac quo minus loci esset ambitioni in comitijs Imperatorijs, cū quattuor essent illorū, qui nō solū suffragiū, sed ipsum etiam Magistratum more maiorū nostrorū inire possent: his tres alij, qui suffragia quidem ferre, sed tamen eligi minime possent, eò quòd Ecclesiastici essent ordinis, adiuncti fuerunt. Qui eo minus cupiditate sua praua se corrūpi & transuersum agi paterentur, quòd causam non haberēt, cur diadema Imperatorium ipsi ambirent. Ad hoc institutū accessit alterum non minus bonum atq; salubre; vt qui in illo excelsō honoris gradu collocarentur, ne durius quàm oporteret, regnarent, ante quàm alijs imperare inciperent, eas leges quodam modo imponerent sibi, nihil vt cōtra Ecclesiā Christianā atq; Rempubicā nostrā, cuiusquē libertatē facerēt. Nec ante ratū esset, quod in deligēdo Imperatore egissent Septemviri, quàm Imperator designatus cū eisdē in leges illas certo factorū genere cōuenisset; vt homines nostri intelligere possēt se nō in Domini cuiusdā acerbioris, sed in patris, cuiusquē perbenigni potestatē venire. Quod autē ad Principis huius facultates attinet, ne hic tenuior esset, & minus posset quàm recta ratio præscriberet, idēmq; accideret Reipub. nostrę, quod corpori humano, si fortē caput ei' imbecillius esset: morib' maiorū nostrorū inductum fuit, vt e vectigalibus, portorijs, & tributis Prouinciarū, ciuitatū, atq; regionū nostrarum tātum emolumentum caperet, quantum ipsi ad sumptus necessarios & vtiles satis esset. Licuit item ei & pecuniam



extra ordinem imperare, quoties opus esset, & euocare in militiam homines nostros, atq; bella gerere cum Imperij nostri hostibus. Quæ si alij Principes suscepissent, iure communi, quo utimur, non bella iusta, sed quædam potius latrocinia esse viderentur. Quare constat talem Reipub. nostræ statum collocatū fuisse initio, & non ita multo post stabilitum, vt melior nec a Deo auctore omnis boni nostri facile impetrari, nec ab hominibus peti posset. Ac cū vnicique ordini tribueretur, quod suum esset, & quò fieret plane beatus, certe nullus horum causam habuit, cur non patriam hanc suā amaret, & tāto magis inter se iungeretur omnes, quanto plus adiuuenti atq; præsidij alter alteri afferret. Quo minus loci relictū fuit aut inuidiæ vlli, aut odio, cum omnes aliorū bonis sua contineri haud obscure intelligerent. Plebs optimatibus atq; nobilibus suppeditauit, vnde laute atq; honeste viuere possent; hi aut illam tutati fuerūt, & etiā cum periculo vitæ defenderūt. Ac cum Imperator omnes omniū ordinū homines animo complecteretur, ijdem in huius imperio atq; potestate beatissime cōquieuerūt. Religio autem Christiana, e cuius quasi fonte omne bonū profluere consuevit, maiores nostros ita excoluit, vt ad pristinā horū fidem, constantiam atq; fortitudinem, quas virtutes e disciplina maiorū nostrorum hauserant, accederet pietas vera, accederet coniunctio animorum singularis, accederent alia bonæ vitæ officia. Itaq; eis non min⁹ omnia bene, feliciterque euenerūt, quàm Iudeis olim,

olim, quoad Deum coluerunt recte, nec ab alijs vitæ officijs decesserunt. Nam tantum bonorum ad maiores nostros delatum fuit diuinitus, vt & viuerent bene beateq; & summo honoris ac gloriæ splendore ornarentur. Atq; hæc hæctenus de optimo Reipub. nostræ statu; in quo nec emolumentum bonū, nec ius æquabile, nec concordia, nec libertas, nec dignitas vera, nec iustum vnius Imperium, nec deniq; illa sacrosancta Dei immortalis religio desiderari posset. Nunc vero vellem aut eadem Respub. nullas postea labe contraxisset, aut mihi integrum esset easdem ipsas præterire. Quanto enim maiore cum voluptate animi in cogitatione optimarum illarum rerū versor, tanto acerbior dolore afficior, quoties mihi malorum huius ætatis atque temporis in mentē venit. Verum quia non superiorum ætatum bona recensere, sed etiā quæ posterioribus sæculis accepimus vulnera aperire atq; tractare decreui: si quo modo & hæc sanari, & illa recuperare possint: faciendum est profecto, quod locus hic atque salus publica postulat. Ac primo quidem et si Respublicæ eo minus labefactari possunt, quo melius constitutæ sunt: tamen cum ita comparatum sit, vt non minus quàm aliæ res humanæ sint mutabiles, & harū, vt Plato inquit, conuersiones naturales: profecto cum diu & aliquot sæcula florisset Imperium Germaniæ nostræ, ita tulit tandem casus rebus nostris infestus, vt post mortem Frederici secundi idem duodeviginti annos Imperatore careret. Interea cum ma-



iores nostri non haberent, cui parerent vni, optimam illam, de qua egimus, Reipub. suæ formam prope amississe videntur. Quam etsi postea per Rodolphū Habspurgum Respublica recuperauit, nō ita tamen, vt ante inter regnum floruit. Nam quo tempore Magistratus Principesq; nationis nostræ præsidio Principis sui nudati erant, nec habebant a quo defenderētur, opes ipsi suas, quibuscunq; rebus possent, firmarunt; & multa eorum, quæ ante Imperatorum fuerant propria, ad se transtulerunt; vt cum quisq; in ciuitate atq; ditio-  
ne sua & regenda & tuēda munus Imperatoris obiret, ipse eius neruis & quasi viribus niteretur. Ac cū Magistratus Principesque nostri illa vsurpassent aliquādiu, nec sine vi ab eorū possessione dimoueri possent, maluit Rodolphus de iure suo decedere, quam offendere voluntates eorum, quorū opera & domi & militiæ vtiliter vti posset; nec suspicatus fuit vnquā fore, vt q̄ ex ipso quasi patrimonio Imperij creuissent, nō obtēperaturi essent sibi, posterisq; suis vltro, nec Répub. gratis animis adiuturi. Et quanquā Princeps hic statuebat se Imperiū beneficijs multo facilius, quam vi atq; armis tenere posse, decessit tamē nō parū de publicis Imperij eiusdē facultatibus atq; emolumentis. Quin ab eo tēpore indies magis ac magis extenuata fuerūt iura atq; vectigalia Imperatorū nostrorū, vt post Carolū III. e publico nostro & vectigalibus Imperij nō modò nō neruos bellorū, sed ne pacis quidē subsidia ampli⁹ Imperatores nostri habuerint. Debilitauit quidem

dē ratio hæc potestātē, quā penes esse debebat summa  
 rerū nostrarū, atq; ita cōuulsit, vt quibus Principibus  
 populisq; Germaniæ imperare oportebat Cæsare, eorū  
 ipse nutū intueri quodā modo cogeretur: cū p̄sertim  
 ei non amplius liceret pecuniā atq; militē, sine quibus  
 nihil rerū magnarū bene gerī potest, populis Germa-  
 niæ nostræ imperare, nisi Principū atq; Ordinū cōsen-  
 sus publicus accederet. Quāquā autē dignitas atq; ma-  
 iestas Imperatoris nostri postea nō ijs opib⁹, nec ea po-  
 tentia, qua oportebat, sustentata fuit: tamē beneuolētia  
 atq; virtute hominū nostrorū nixa stetit, vt Resp. no-  
 stra etsi foris minus gloriose, tamē domi satis bene ad-  
 ministraretur; quoad boni illi atq; antiq̄ mores in na-  
 tione nostra viguerūt. Nā & hoies nostri iuncti fuerūt  
 inter se, & Imperatorē obseruarunt, & patriā ita ama-  
 rūt, vt se pro ea grauissimis offerre periculis, atq; vitā  
 adeo suam profundere non dubitarent. Quibus vt ni-  
 hil fuit antiquius, quā honeste viuere, ac de patria  
 bene mereri, ita vicissim nihil odiosius, quā turpiter  
 viuere & patriā deserere; vt Respub. nostra cū minus, q̄  
 ante, posset, moribus tamen bonis hominū nostrorū  
 seipsam satis bene tueretur, & appareret verissimū esse,  
 quod sapientissimi homines in ore habent, non esse,  
 cur quisquā statū Reipub. bonū non virtute potius ac  
 pietate, quā pecunia, opibus, potētia metiatur, cum  
 finis eiusdē sit ipsa bene beatēq; viuendi ratio. Verum  
 tamē cū Princeps nationis nostrę summus imbecillior  
 foret, periculū erat, ne, quēadmodū corpus humanū,  
 si ali-



si aliqua potiorum huius partium languescat, ipsum  
 ægrotare incipiat grauius: ita Respub. etiam nostra in  
 languorem perniciosum incideret. Itaque aui, atque  
 maiores nostri cauerunt sane diligenter, ne mores  
 illi hominum nostrorum boni, quibus Respub. nostra  
 sustentari videbatur, deprauarentur; & eam inierunt  
 rationem, ut quas forte officij atque disciplinæ quasi ha-  
 benas attenuatio Imperatoriæ potestatis laxaret, eam  
 legum seueritas astringeret. Est enim magna quedam  
 inter magistratum & legem coniunctio. Quare lege pu-  
 blica interdictum fuit, ne quis maiestatem Imperato-  
 ris læderet, neue vim publicam in Respub. nostra susci-  
 peret: qui autem contra fecisset, grauisima poena af-  
 ficeretur. Atque hæc quidem lex primò ab Henrico  
 I. lata, & deinceps ab alijs Imperatoribus sæpe reno-  
 uata fuit, ut non facile villo tempore antiquari posset.  
 Quæ cum alios fructus, tum eum attulit Reipub. ut,  
 qui fortasse nouarum rerum cupidi essent, statim hu-  
 ius non facile labefactare possent. Ac quo minus no-  
 biles, in quorum virtute magnum semper præsidium  
 fuerat Reipub. nescio qua licentia fierent deteriores,  
 atque corrumpentur: non passi sunt maiores nostri  
 leges censorias e Respub. nostra tolli; sed quicumque no-  
 bilium grauibus se criminibus obstrinxisset, & Rem-  
 publicam eiusque principes læsisset in certaminibus,  
 quæ instar Olympiadum Græcarum instituta fuerat,  
 publice inspectante tota fere Germania infamia gra-  
 ui notati fuerunt; ut quos caritas patriæ atque Impe-  
 ratoris

ratoris auctoritas in officio non contineret, poenæ atque infamiæ metus a sceleribus deterreret: eoq; minus ordo hic Rempub. armis, quibus eam sæpe tutatus fuisset, dilaceraret. Cautum item fuit prudentissime, ne disciplina militaris, quæ Reipub. nostræ non solû vtilitatem magnam, sed etiam ornamenta præclara pepererat, facile deprauari posset; neque id iniuria. Etenim si vllorum hominum, certe militum vita ac mores arctiorem seuerioremq; disciplinam desiderant. Quæ si laxatur, hi in illa gladiatorum suorû licentia cupiditatibus suis non facilè vllum statuunt modum; & non solùm hostibus, sed etiam socijs, amicis, atque Prouincialibus sunt infesti; nec ijs, quos habet contubernales, parcunt, ab eisq; manus abstinent. Hinc motus illi militares, hinc seditiones, quæ & Imperatores & magnos exercitus sæpe euerterunt. Itaq; iure laudatur iusta seueritas Aureliani Imperatoris; qui, vt milites a prauitate morum ad officium reuocaret, imperauit Tribuno suo, ne pateretur militem vllum rapere alienum pullum, ouem vllius contingere, vnam auferre, segetem deterere, oleum, salinum exigere; & addidit, suo quemque stipendio contentum esse oportere. Nec minus laudandus est noster Federicus ille tertius; qui, vt licentia militaris reprimetur, legem tulit de sententia ordinum Imperij, idque Francoforti, ne per milites stare, quo minus in Germania atq; Prouincijs nostris liceret populis cuiusq; loci ex agris atq; vineis fructus natos capere sine metu,



tu, & in villas atq; domos suas conuehere. Itē, ne milites igni vastarēt villas & regiones, néue clericos, mulieres grauidas, & homines morbis grauibus affectos, peregrinos, mercatores, & aurigas, si qui merces deportarent, læderent, néue templa & delubra Dei immortalis violarēt atq; deriperēt, & res earū sacras ad se trāferrent. Hi mores, leges atq; instituta eam vtilitatem Reipublicæ nostræ attulerunt, vt quē maiores nostri huius statum bonum atq; concordem collocauerant, idē retineri posset: & quāto plus de potestate Imperatoris decesserat, tāto magis leges optimę illæ Rēp. nostrā iuuarent; & quod amiserat illa, quodā modo restituerent. Ac quoniā maiores nostri intellexerunt præclare hęc esse illa ipsa vincula, quibus Resp. nostra cōtineretur, nō modò nō pasci fuerūt, ea vllis improborū atq; seditiosorū hominū consilijs rūpi: sed in cōuentibus posterioribus hęc eadē astringere etiā non dubitauerunt. Atq; hoc quidē & bonū fuit per se, & publicis rationibus eo vtilius, q̄ ordines nostri eo, quod ipsi sciuerant, iure, & de quo cum Imperatore quodā modo pacti fuerant, libentius vterentur. Videmus iam vt lex muta opē tulerit Magistratui nostro summo; qui idem esse debebat lex loquens, qua homines nostri bene & vtiliter regerentur. Atq; vt illa vim suā haberet, cōstituit Imperator iudiciū quoddā, a quo nihilo magis, quàm a seipso vlla esset prouocatio. Ac quo minus iudiciū hoc iniquū vlli esse videretur, ea consilij ratio inita fuit, vt qui in hoc adsciscerentur Assessores ex

omnibus regionibus nationis nostræ, hi essent excellēte virtute omnes præditi, & partim Iureconsulti, partim vero nobiles, quorum spectata & talis esset prudentia, vt ex equo ac bono iudicare valerēt. Iā vero cum Reip. nostræ nec leges bonæ, nec iudicia, neq; hoīum nostrorum studia recta deessēt, Imperator ipse in iure publico atq; voluntate Ordinū tantum habebat præsidij, vt seditiosos atq; sceleratos cum quadā seueritate coercere, & Rēpub. ipsam satis cōmode tueri posset. Et quanquā huius rei ratio satis explicata fuit aliquādiu, tñ cū Principes certi, atq; ciuitates Germaniæ nostræ similtates, nescio quas, inter se gerere cœpissēt: ne ea res causā daret fœderibus, quibus alteri cōtra alteros opes suas firmare studerēt, atq; ita Rēp. in factiōes distraherēt: Imperator Maximilianus fortissimus atq; prudentissimus Princeps de sentētia Ordinū lege cauit, ne vllus Germanorum contra legē de pace publica se cum alijs Germanis vllō fœdere iungeret; neue bellū sine auctoritate publica susciperet, aut societate cū exteris gentibus, earūue Principibus coiret. Magnū sane fructū hæc lex Reip. nostræ attulit, & ad retinendum quietū huius statū fuit lōge aptissima. Cū præsertim in eam Imperator & maiores nostri certo pactorū genere ita se astrinxissent, vt oīa fœdera eorum, qui nec iure æquabili stare, nec iniuria abstinere vellent, excluderentur. Fuerunt leges, quas commemoravi, patriæ nostræ cum primis vtilis, & quamdiu ab hominibus nostris legum eandem iuris, concordia, pacis ratio



habita fuit, tamdiu ea satis beata fuisse videtur; sed tamen tamdiu non dico beata esse, sed ne stare quidem potuisset, nisi ipsam religio Christiana fulsisset. Quippe quæ ducere solet homines ad fontem benignitatis diuinæ, vnde eam vim Spiritus sancti hauriant; vt cupiditatibus suis improbis imperare, honeste viuere, patriam complecti possint: malintq; vitam amittere, quàm hanc eandem deserere. Ad Dei autem gloriam, quæ caput est bonorum, referant omnia, vt siue priuatum, siue publice quidquam agant, non in sua virtute, sed in Dei potius beneficentia spem ponant: seq; misericordiæ eius, atque benignitati totos committant. His omnia solent esse secunda, fausta, atq; felicia: & tanto id quidem magis, quanto de religione Dei immortalis minus dissentiunt; vt mihi quidem videatur Respub. eorum, qui cū Christo eiusque corpore, quod est Ecclesia, sunt coniuncti, non minus facilè dissipari posse, q̄ impiorum atq; sceleratorum hominum greges diu conseruari solent. Dederunt huius rei signum illustre gentium certarum, carúmq; impiarum imperia; quæ ita conciderunt, vt iam ne vestigium quidem eorundem vllū extet. Verū Resp. & regna certa, quorum idem de religione sensus semper fuit, & cōseruata sunt diuinitus & perpetuo floruerunt. Nec minus beata esset natio nostra; nec minus dico immo multo etiã beatior, si de religione Christiana idē nos sentiremus. Etsi enim de Imperatorū nostrorū potestate superioribus temporibus nimis detractū fuit, tamen quādiu homi-

hominū nostrorū de religione sensus fuit concors, hi nihilo minus Principibus illis suis paruerūt, q̄ si potētissimi essent. Quippe cū in animū suū inducerent, eū qui Principi aut Magistratui suo nō obedit, labi turpiter, & a conscientia recta prorsus discedere. Itaq; cū in potestate Principis sui esse boni oēs vellēt, vt debebāt, facile compresserūt eos, qui cōtra eundē Principē aut Rempub. se commouissent: atq; ita multarunt, vt documentum daretur, quantum Germaniæ nostræ præsidij esset in virtute, beneuolentia, & obedientia iusta hominum nostrorū; præsertim cum milites etiam nostri eam haberent rationem officij recti, vt quoties a Regibus exterarum gentium conducerētur, in sacramento militari Imperatorem atque Imperium nostrū exciperent; & mori mallent, quā contra patriam ac Principem nostrum arma ferre. Quare Imperator noster virtute, atque voluntate bona hominum nostrorum tantum potuit, vt non solū Rempub. nostram domi satis bene tueri, sed etiam Prouincijs nostris subuenire posset. Et in hoc quidē patrię nostrę statu, quo quisque hominum nostrorum excelsiore erat animo, eo magis expetebat, vt Imperium patrię nostrę in pristinum restitueretur statum, eumque optimum; & ita quidem restitueretur, vt non solū nationem nostrā atque Prouincias huius tueri, sed etiam hostes Christiani nominis a ceruicibus aliarum gentiū arcere posset. Ad cuius quidē rei spem hominibus nostris quoddam veluti signum toties sustolli videbatur, quoties



vnus aliquis Principum Austriacorum, qui cum alijs  
 virtutibus, tū pietate semper ornatissimi fuerūt, Im-  
 perator designaretur. Visus fuit Rodolphus, qui pri-  
 mus tantum decus in gentem Austriacam intulerat,  
 Rempub. Germaniæ nostræ non solū cōseruare, sed  
 etiam amplificare posse; si ij, quos habere debebat bel-  
 lorum neruos, ipsi non nimis accisi fuissent. In Alber-  
 to autem tanto maior fuit spes, quanto fortunæ eius  
 fuerunt ampliores: hic nanque cum ditione Austria-  
 ca regnum Pannoniæ atque Bohemiæ coniunxerat.  
 Sed cum ipse Germaniæ nostræ ante eriperetur mor-  
 te, quàm ea, quæ de omnibus commodis ornamentis-  
 que eius cogitaret, cōficere posset, bonis omnibus gra-  
 uissimum sui desiderium reliquit. De Federico autem  
 tertio quid dicam? qui cum non æque potēs esset, atq;  
 Albertus agnatus fuerat, & artibus pacis magis quàm  
 belli delectaretur: tamen consilio, quo abundabat, viā  
 nepotibus atque posteris suis ad magnam potentiam  
 muniuit. Etenim affinitate cum Carolo Burgundio-  
 num duce contracta, & hunc, qui antea ipsi iniquior  
 fuerat, conciliauit sibi; & pietate, qua excelebat a  
 Deo immortalī impetrauit, vt idem Carolus non mo-  
 dō non cum eo de Imperio certaret amplius, sed so-  
 cietate potius atque amicitia optatissima iungere-  
 retur; & nepotem e filio Federici Philippum ditio-  
 nis suæ, quæ per Belgas ac Sequanos late patebat, he-  
 redem relinqueret. Sic Deus Principes pios atque iu-  
 stos iuuare consuevit, vt hostes etiam, qui eis nocere  
 volunt,

volunt, mutata sententia profint. Nam ab eo iam tempore Austriaca domus mirum in modum crevit; vt enim Maximiliano matrimonium cum Maria Caroli filia vtile fuerat atque faustum, ita matrimonium Philippi cum Ioanna Regis Hispaniarum filia ad eum liberos, nepotesque ipsius regna Hispaniarum, Neapolitanum, atque Siciliae iure hereditario detulit. Erat quidem Maximilianus virtutibus summis præditus; & post quàm singulari totius Germaniæ applausu Imperator renunciatus fuerat, nihil eorum, quæ ad officium boni Principis pertinent, prætermisit; & documenta statuit illustria, quantum consilio, virtute, atque fortitudine valeret; tum ea erat comitate, vt non solum nostrorum hominum, sed etiam exterarum gentium voluntates sibi facillè conciliaret. Rem autem militarem ita excoluerat, vt parua sæpe militum nostrorum manu maximos exercitus hostium deleret; & quoties signis collatis cum eisdem pugnaret, toties & signa daret virtutis cuiusdam excellentis, & victorias gloriosissimas referret. In hunc cum omnium Christianarum gentium oculi essent coniecti, idemque nihil optaret magis, quàm vt rebus Christianorū pacatis bella, quibus iidem seipso cōficerent, in Turcā nominis nostri infestissimum hostem communi omnium cōsensu transferrentur; & iam huius rei cōsilia non dissimulante captaret: en, tibi moritur hic optimus, fortissimusque Princeps suo quidem tempore, cum spiritus  
eius



eius in illas cæli sedes beatissimas haud dubie migra-  
 ret; nostro verò, non item. Atque hunc vt Patrem pa-  
 triæ Germania nostra cuncta nõ ante destitit lugere,  
 quàm Carolus noster quintus ( quem ego Principem  
 semper honoris amplitudinisquæ caussa nomino) op-  
 timo auo optimus e filio nepos successisset. Qui cum  
 & vellet pro ea, qua ornatus erat virtute de patria no-  
 stra atq; vniuerso Orbe Christiano bene mereri, & idẽ  
 posset, cum hoc Imperatore nullus post Carolum Ma-  
 gnum potentior ad Rempub. nationis nostrę accessis-  
 set: Deus certe illum ita genuisse videbatur, vt per eũ  
 Imperium nostrum non solũ stare, sed etiam reflo-  
 rescere & pristinum suum splendorem recuperare pos-  
 set. Nec Princeps hic fefellisset spem nostram, si virtuti  
 atque consilij eius euentus respondisset. Sed hic non  
 ita multo post quàm Magistratum illum summũ inie-  
 rat, quę contra communes Christiani nominis hostes  
 capere debebat arma, eadem contra Christianos cer-  
 tos, eosquẽ potentes, vt sua defendere posset, ferre co-  
 gebatur. In quo tamen ipso cauit diligentissime, ne mi-  
 norem clemẽtiæ, quàm fortitudinis fructum caperet:  
 & ne hostes magis, quàm seipsum vincere videretur.  
 Nam victis illis atque captis tam benigne fecit, vt faci-  
 lè omnes intelligerent malle ipsum cũ ijs, quos socios  
 habere debebat, colere amicitiam, quàm armis dimi-  
 care. Gessit quidem Princeps hic res maximas, nec ei;  
 qui virtute & rerum gestarum gloria alijs regibus atq;  
 principibus Orbis terræ lógo interuallo antecellebat,  
 ad

ad summum decus deesse quidquam videbatur, quàm quod qualia de alijs Barbaris & Christiani nominis hostibus trophæa in Africa posuisset, talia in Europa constituere non posset; & quibus armis insulas amplissimas, quæ ipsi e mari Occidenti quodam modo natae fuerant, domuisset, eisdem Turcas non frangeret; nec horum metu Austriam maiorum suorum atq; Ferdinandi fratris coniunctissimi & Regis longe optimi sedem liberaret. Et quanquam in eam rem fortia sepe ac Christiana consilia inierat, tamen ita tulit casus rebus nostris infestus, vt quoties bellum sacrû fuscipere vellet, toties iniuria eorû, a quib<sup>9</sup> minime oportebat, consilium illud bonû atq; salutare mutare cogèretur. Velle hoc loco quæ reliqua sunt, nec sine acerbissimo animi dolore cõmemorari queunt, præterire possem: sed quia hæc a me suscepta est oratio, nõ vt iniuriã vlli aut dolorem, sed potius vt medicinã rebus nostris languëtibus, si quo modo possim, faciã, dabitur hæc veniã mihi, vt quæ sentio, & locus hic postulat, libere dicam.

Atq; vt ad secundum instituti nostri locû veniam: etsi in virtute atq; potentia Caroli Imperatoris multû nobis Germanis præsidij esse videbatur, & sub Imperio eius ita exulta fuerûnt ingenia nostrorû hominum, & rei militaris scientia, quam a maioribus nostris quasi per manus traditam acceperat, ita vixit, vt patriæ non solum adiumento, sed etiã ornamento esse possent: tamen tanta morum peruersitas incidit in tẽpora eiusdem Imperatoris, vt patriam ipsi nostrã oppugnauisse



magis, quàm iuuisse videamur. Quamdiu in natione nostra de religione Dei immortalis concors & idē sensus fuit, homines nostri patriā amauerūt; & cōmunem huius vtilitatem cōmodis suis priuatis anteposuerūt; vt cū Imperiū nostrū tenuius esset, his tamen moribus status eius cōseruaretur. Fuit nanq; religio fundamentū illud, quo idem Imperiū primū niti cœpit; & postea sustentatū fuit, quò ad ipsam idē omnes sensimus: sed non ita multo post, quàm Carolus noster designatus erat Imperator, euenit, vt dissensio quædā de religione Dei immortalis oriretur. Que, vt fit, in contentionem erupit; contentio materiā subiecit odijs, odia autē Ecclesiam in parteis distraxerunt. Ac si vllū, certe hoc factionis genus concordia, otio, atq; paci est inimicum. Nam alij factiosi propterea oderunt aduersarios, quòd putant eosdem aut vitā, aut honorem, aut fortunas sibi eripere velle. At qui de religione inter se litigant, eo maiore nocendi cupiditate inflammantur, quòd metuāt, ne si fortè ab inimicis victi fuerint, atq; oppressi, salute æterna euertantur. Quod cū animaduerteret Carolus, vt magnā & a religione & ab Imperio nostro pestem auerteret, salutaria sepe captauit cōsilia, quibus schisma ipsum tolli, & concors Germaniæ status collocari posset; nec prætermisit quidquam eorū, quæ ad eam rem conficiendam pertinere viderentur. Sed tantum abfuit, vt hic optimi Principis conatus optimus nobis cōsuleret, vt indies magis ac magis animi hominū nostrorū exulcerarētur. Quin eo reciderunt

derunt omnia, vt præclare ageretur nobiscum, si quæ vim habere deberent medicamēti cuiusdam, non perniciem afferrent. Quippe cū schisma ipsum nō modò non sedaretur, sed indies magis ac magis ingrauesceret, nec religionem solùm perturbaret (quod tamen caput erat malorum) sed etiam omnia Reipub. nostrę fundamenta conuelleret. Sustulit id primùm beneuolentiam hominum nostrorum; & fecit, vt rustica plebs non ita, vt ante, nobiles, quorū in potestate more maiorum esse debebat, obseruaret. Hinc illud ipsum belli incendium, quo tota fere Germania arsit, & quod vix tandem multo multorū sanguine extinctū fuit. Hanc calamitatem secuti sunt motus Principū virorum, qui spretis legibus maiorū atq; iudicijs equis rem gesserūt, & ipsa patriæ viscera crudelē in modū lacerauerūt. Ac ne quid nobis deesset ad summā calamitatē, inuēti sunt in Repub. nostra potētes homines, qui coierūt cū vicinis Regibus, ijsq; infestis nomini nostro, societate nefariā vexandæ patrię atq; Germaniæ nostræ; idq; cōtra, quàm nō solùm leges & boni maiorū mores, sed etiā ipsum naturę ius præscriberet. Quin extiterūt, qui cū tēporibus se valere arbitrarētur, magna vi atq; animorū impetu maiestatem ipsam Imperatoris imminuerēt, & conarentur e manibus eius sceptrum, & gladiū, qui ei a Deo quodā modo porrectus erat excutere; & ipsum a sede Imperatoria, in quā summo bonorū omnium applausu collocatus erat, deijcere. Cetera malo vos tacitos cogitare, quàm vulnera illa Reipub. nō sine grauis-



grauissimo & vestro & meo dolore commemorando  
 ipse refricare. Quid multa? Quo tempore nos oportuit  
 ad eam curam incumbere omnes, ut beneficio Princi-  
 pis nostri, qui pro incredibili virtute sua vellet Rem-  
 pub. nostram constituere, salui atque beati esse posse-  
 mus, nos ipsi, nos inquam patrie, & nobis quodam mo-  
 do ipsis infesti fuimus; & ita restitimus eidem Impera-  
 tori nostro, ut quod gloriose conaretur, efficere mini-  
 me posset. Itaque non miror equidem quid sit, quod cum  
 aliarum gentium, quae in Caroli nostri potestate erant, res  
 florent, nostrae autem conuulsae sint. Nam cum illae  
 Principem illum obseruarent, eiusque dicto audientes  
 essent, dignitatem eius tuerentur, & ad publica patrie  
 suae commoda referret omnia, non minus creuerunt,  
 atque sibi ac patriae eidem veram gloriam pepererunt, quam  
 nos cum contrariam vitae rationem sequeremur, & nos ipsos  
 & patriam nostram magno cum dedecore nostro affliximus.  
 Ac quia legum vincula, quae potentiores in officio conti-  
 nerent, & praesidio essent Imperatoriae potestati, disru-  
 pimus omnia, & disciplinam rei militaris ita corrupimus  
 ipsi, ut multi militum nostrorum malint patriam populari,  
 quam externos hostes ab hac arcere, nec ita magna ha-  
 beatur ratio Imperatoriae cum auctoritatis tum vero etiam  
 potestatis: non iam miror ego quid sit quod non eque, atque alie  
 quibus imperauit Carolus getes, floreamus; sed, quod non  
 iam diu funditus interierim. Cum praesertim sublata e Re-  
 pub. concordia & Imperatoria dignitate debilitata, in  
 quo ante quam Imperium nationis nostrae constitueretur  
 fuit

fuit hæc statu pernicioso, in eūdem quodā modo reciderit; & Imperator potestatem suā, quam summam vnus habere debebat, prope amiserit. Sic enim venit vsu, vt simul ac vinculum caritatis, quod religio attulerat, sublatum fuit, omnia nostra ruerent atque dilaberentur. Quin factiones, quas discordia in nationē nostram inuexit, quales sint & quā perniciosē huius pestes, declarant multi maximarum Rerum publicarum perhorrescendi casus; & Christus ipse Dominus atque Seruator noster, qui summa auctoritate hoc edit oraculum fore, vt regnum omne pereat, quod in se diuisum est atq; distractum. Hinc ille impendentium periculorum metus, qui bonorum omnium animos vehementer perturbat; hinc eorum, qui de nobis nulum faciunt male cogitandi finem, exultans lætitiā, dū iam quæ nostra sunt spe atq; cupiditate deuorare videtur. Ac si potentiores nostri, qui tam procliuēs sunt ad seditiones atq; motus intestinos suis ipsi armis patriā frangere non desierint, quid tandem, quid huic futurum erit? an censetis gladios Turcarum truculentissimorum hostium sanguine Christianorum stillantes conquieturos esse? an censetis alios vicinos occasione tam optatam nationis nostræ dilacerandæ non arrepturos esse auide? an cēsetis Rutenos, post quā Provinciam longe lateq; patentem nobis anno superiore eripuerunt, nō secuturos esse victoriam? prætereo hic prudens voluntates eorum, qui cum amici, atque socij nostri videri velint, Imperium tamen nostrum at-



tenuare, & Prouinciales nostros in suam redigere potestatem non dubitant. Sunt hæc quidem talia, vt in clarissima luce versentur. Quare si de his longior fuero, ineptus sim; illud tantum, quod res est, dico Rēpub. nostrā languere; & quibus hæc rebus antehac nixa stetit, has oēs temporibus hisce calamitosissimis ita esse labefactatas, vt nisi primo quoque tempore vtilia patriæ nostræ atque salutaria cōsilia ceperimus, periculum sit, ne breui funditus sit peritura. Sed quia tamen Ferdināndus Imperator longe optimus fratri optimo successit, idēque ea cum prudentia, tum pietate præditus est, vt ad Imperium nostrum instaurandum, & res optime gerendas natus esse videatur: saluti equidem desperare nequeo. Nam cum hic omnia non ad suā, sed Dei gloriam referat, nec pro incredibili virtute atque animi constantia minus secundis rebus efferatur, quam aduersis deicitur: spes ostenditur Deum immortalē tantum felicitatis ad eum delaturum esse, vt res nostras labascentes non solum fulcire, sed etiam ornare possit. Cum præsertim ita se gerat ipse, & ea beneuolentia omnes omnium ordinum nostrorum homines sibi deuinciat, vt non solum eos, in quibus virtus maiorum nostrorum nec dum obsoleuit, in potestate sua habere, sed etiam eos, qui antehac duriores aliquanto fuerunt, flectere, & in viam reuocare posse videatur. Itaque etsi imminentium periculorum metu pæne frangor & vehementissime doleo, quā Remp. nostram maiores nostri magna cum gloria constituerunt, & tutati fuerunt, eā culpa nostra dilabi & quodā modo

modo ruere: tamen non ita contraho animum, vt in rebus difficillimis non bene tandem sperem; Quippe cum videā magnas dari oportunitates hoc tēpore Rei pub. eiusdē reficiēdæ, cōstituendæ, atq; adeo ornādæ.

Venio igitur ad id, quod me tertio loco dicturum proposui; & qua consiliorū ratione rebus nostris languentibus mederi possimus, ostendā. Ac primū vt morum corruptela, discordia, & minor, quā par est, Magistratum auctoritas atq; potestas faciūt, vt Respub. non modò non florere, sed ne stare quidē possint: ita virtus ciuium, concordia, & iusta Magistratum potestas easdē continēt, tuentur, fouent. Nā Deus non minus bonos respicit perbenigne, quā improbos, male multat, nec minus consentientes & amantes patriæ amat, quā factiosos affligit; nec deniq; minus Rēpub. eā, cuius Magistratus tantum potest quantum debet, cōseruat, auget, amplificat, quā eam hominum societate, in qua ciues peruerso quodā more, quibus parere debēt, imperāt, & eorū iustū imperiū recusant, angustius odit atq; detestatur. Quare vt grauissimarū calamitatū metu nos tādē ipsos liberare, & patrię cōsulere possimus, pestes illas, e quibus Resp. nostra hoc tēpore languet quā primū euellamus necesse est; vt quoad eius fieri potest, virtutē maiorum nostrorum, sensum concordē, & eā, quæ necessaria cum primis fuerit, Imperatoris potestatem recuperare possimus. Nā cum his rebus Imperium nostrū partū sit initio, nō alijs cōmodius retineri vel instaurari poterit. Sed ante q; e ciuili ratione attulero, quæ ad rē pertinere videbuntur, de schismate



schismate horum temporum agam. Quod cum fons  
 sit & origo malorum nostrorum, quibus hoc tempore  
 affligimur maxime, hoc eodē sublato, reliqua nobis  
 haud dubie omnia ad Rempublicam constituendam  
 erunt facilia. Atque idem schisma tanto magis fu-  
 giendum est nobis, quanto magis in Domino nostro  
 IESU CHRISTO vnum esse omnes debemus. Est  
 quidem Ecclesia sponsa Christi, atque huius adeo cor-  
 pus: vt qui eam dissipat & schismate diuellit, quā huic  
 iniuriam facit, eandem Christo ipsi inferre videatur.  
 Quare Paulus Apostolus obsecrat Corinthios per no-  
 men Domini nostri IESU CHRISTI, vt idem sentiāt  
 & loquātur omnes, nec sint inter eos schismata. Deus  
 autem vt ab hoc scelere nos deterreret, schismaticos  
 exquisitiore quā alios facinorosos supplicio affecit:  
 & quod ante inauditū fuerat fecit, vt Dathan & Aby-  
 ron hiatus terræ modo quodam perhorrescendo ab-  
 sorberet. Extiterunt, qui corruptelas & vitia ex agro  
 Domini euellere vellent, idq; bonis omnibus applau-  
 dentibus: neque esset, quamobrem vel consilij, vel fa-  
 cti eorundem nos peniteret, si non longius quā mo-  
 derata ratio ferret, prouecti fuissent. Sed cum hi Eccle-  
 siam quā iuuare debebāt, schismate & perturbassent,  
 & distraxissent, secuta sunt ea, quę vos tacita cogitatio  
 ne cōplecti malo, quā de rebus asperrimis asperum  
 aliquid proferre; illud tamen quod huius loci est præ-  
 termittere nec possum, nec debeo, eos qui profiteban-  
 tur se languores Ecclesię curare cupiditate contentio-

ob ratione merito dicitur de his que sunt in mundo inis-  
 schismate

nis incitatos, fines iustos correctionis tráfilijſſe. Quin-  
 cò prolapſos fuiſſe, vt non tam repurgarét Eccleſiam  
 melioremq; facerét, ſed vt eadem ſublata nouam neſ-  
 cio quam fabricarentur. Si domus aliqua aſperſa neſ-  
 cio qua labe deformior ſit aliquanto, ſitum eſt in po-  
 teſtate Domini vel repurgare eandem, vt priſtinam  
 formam bonam recuperet: vel diruere, vt aliam do-  
 mum, eamq; pulcriorem conſtruat; cum ſub hac no-  
 ua aut melius, aut æque bene contra tempeſtatem æ-  
 ris tectus eſſe poſſit. At Eccleſiæ longe alia eſt ratio.  
 Quippe cum vna ſit ipſa, vna nimirum illa columba,  
 de qua Salomon in Canticis canticorum; & vnum v-  
 nius capitis, videlicet, CHRISTI corpus, nec alibi  
 vſpiam cubet CHRISTVS, & Spiritus ſanctus tan-  
 quam in templo ſuo vigeat. Itaque qui hanc deſerit,  
 & nouam in qua viuat, querit, ſeipſum fallit; & ſi for-  
 tè peregrino coetui ſe adiungat, in eum locum venit,  
 vbi nec Chriſtum, nec Spiritũ ſanctum inuenire, nec  
 ex vtroq; ſalutem haurire poſſit. Quò maiore cū per-  
 nicie ſua errant ſchiſmatici omnes, cum & Eccleſiam  
 veram atque Germanam deſerunt, & alios huic coe-  
 tus anteponunt. Quid igitur eſt? Certe vt ij, qui Eccle-  
 ſiam veterem repurgandam cenſent, vt melior fiat, &  
 priſtinam ſuam formam, eamque pulcram recuperet,  
 me non modò non repugnantẽ, ſed etiam conſentien-  
 tem habent: ita conſilia eorum, qui illam non repur-  
 gare, ſed diſturbare atq; oppugnare conantur, proba-  
 re nec poſſum, nec debeo. Breuiter ſchiſma non medi-



camentum est, quo Ecclesia languens curetur, sed ve-  
 nenum, quo eadem colatur. Positum est enim in ipsa  
 natura rerum, ea, quæ diuiduntur, non minus recide-  
 re ad nihilum, quàm quæ in vnum contrahuntur fir-  
 ma sunt atque stabilia. Conscinde vestem, & vestis  
 non erit amplius vestis: disijce parietes domus, & do-  
 mus non erit amplius domus: disseca corpus huma-  
 num, & pro corpore partes quasdam putridas relique-  
 ris. Quod ipsum quale sit, & quàm perniciosum, si in  
 vlla alia re, certe in Ecclesia cernitur. Quidquid enim  
 ab hoc vno vnus CHRISTI corpore auulseris, vi-  
 tam amittit, & computrescit. Quin immo quate-  
 nus Ecclesia in parteis distrahitur, eatenus CHRIS-  
 TVS per summam iniuriam diuiditur. Nam, vt Pau-  
 lus inquit, *Significatum est mihi ab ijs, qui sunt Chloës,*  
*quod sint contentiones inter vos, hoc autem dico, quòd vnus-*  
*quisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego Ap-*  
*ollo, ego Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus?*  
 En tibi qui Ecclesiam in parteis distrahuut, CHRIS-  
 TVM etiam ipsum, quantum in se est, discerpunt  
 atque dilacerant. Ac ne quis fortè putet hunc eun-  
 dem in varijs coetibus, ijsquæ ab vno illo corpore suo,  
 quod Ecclesia est, alienis sedem habere, monet nos  
 Dominus ipse, ne audiamus eos, qui dum nos in cœ-  
 tus illos ducere volunt, aiunt hîc vel illic est CHRIS-  
 TVS. Nolo hîc asperius agere cum villo, nec accu-  
 sare quemquam; sed id tamen, quod in clarissima luce  
 versatur, dissimulare non possum, nos Germanos, nos  
 inquam

inquã non minus, quàm Corinthios schismate in partes Ecclesiæ, atq; Reipub. perniciosas diuulsos esse; nõ minus dico: immo maioribus etiã de rebus, & ab eotẽpore quo primũ a veteri atq; catholica Ecclesia discelsio facta est in natione nostra, ita quidẽ vsu venisse, vt vnũ schisma semper ex alio nasceretur. Hinc tot coetus hominũ religionis caussa sociatorũ apud nos, qui cum omnes veterẽ Ecclesiã infectentur, & sint qui huic adimere conentur auctoritatẽ Ecclesiæ verẽ, quã sibi vindicant singuli, non tamẽ multo minus acriter inter se, quàm cũ illa pugnant. Ac quoniã præter vnã hanc nulla alia societaturũ humanarũ vera & Germana Ecclesia, in qua ad salutem aspirare queamus, esse potest: intelligitur haud obscure eos, qui de religione inter se hoc tẽpore contendũt, & patriã, & se etiã ipsos in grauẽ periculi flãmam cõijcerẽ. Qui dũ mores aut dogmata aliorũ, quibus cũ in Ecclesia viuere debent, ferre nolint, idẽ eis accidit, quod ijs, qui in alto nauigat, si quãdo odio eorũ quibus cũ vehũtur incitatis, aut nauẽ comunẽ perforet: aut vt ab his seiungãtur, in mare prosiliant, seqũe fluctibus huius cõmittãt. Hic quid reliqua quæritis? an nõ satius esset eis tolerare in naui cõmuni, quod minus periculosũ esset, q̃; haud dubie mortis periculo se offerre? Quãuis enim optadũ esset, Ecclesiã nec corruptelis vllis, nec vitijs deprauatã esse: tñ id quidquid est ijs, qui idẽ nec probãt, neq; imitantur, fraudi non est. At schisma omnibus, qui in eo versantur, perniciosum est, & nõ minus Rẽp. quàm Eccle



siam ipsa labefactat. Itaq; ad eam curam incūbere debemus omnes, vt positis simultatibus posthac cōcordes simus inter nos, & de religione Dei immortalis idē & sentiamus, & loquamur. Thrasibulus Atheniensis, vt ciuium suorum discordias sedaret, legem tulit, qua omnis illarum memoria obliuione perpetua deletur; atq; hoc eius factum vno omnium bonorū ore laudatur. Quanto laudabilius foret, si nos, nos inquam Germani controuersias religionis sustolleremus ipsi; & iniurias, quas nos ab alteris accepisse arbitramur, donaremus Ecclesiæ, donaremus patriæ, & non aliter, quàm si inter nos nihil controuersiæ vnquam fuisset, quietis animis & concordis sensu inter nos viueremus. Quare in consilium adhibeamus non odium, nec arrogantiam, qui sunt pessimarum rerū consiliarij: sed caritatem, quæ ædificat & Ecclesiæ mirum in modū prodest. Hac eadē ducti certemus inter nos non vtri alteros vincamus contendendo, sed vtri de alteris melius mereamur. Cogitemus nos nō minus acres nostrorū, quàm aliorū vitiorum iudices esse oportere, cum sua quenq; magis, q̄ aliena peccata premāt, & eos qui alios condēnant, dū suis interea vitijs indulgēt, iure à Deo condēnari. Accusem⁹ ante nos ipsos, quàm alios, si quomodo in bono vincere malū, & eos, qui nos hoc tēpore oderunt, ad æquitatem Christianis hominibus dignam flectere possimus. Quod cum vtile fuerit perse, tum ad Ecclesiam repurgandam & pacem eius reconciliandā longe vtilissimū; cum nec nos, qui sumus

cū potestate Ecclesiastica, minus quàm officiū nostrū postulat, fecerimus, nec qui se aduersarios cōstituerūt nobis, plus, quàm recta & moderata ratio feret, fecerint. Nos igitur, nos, quos Deus in specula Ecclesię suę ita collocauit, vt Episcopi simus, excitem<sup>o</sup> nos ipsos, vt non quę nostra, sed quę Dñi nostri IESV CHRISTI & omniū sunt curemus; nec defendamus corruptelas atque vitia, sed eadem quoad eius fieri potest, tāquam vepres malas, extirpemus. Aduersarij autem nostri se quoque ipsos moderentur. Cogitent quàm periculosa sit contentio omnis, vt quę vim habet ad auditores peruertendos, auctore Apostolo. Cogitent quid acciderit Dionysio Alexādrino doctissimo patri, qui cum in refellenda hēresi Sabelliana egregiam operā Ecclesię nauasset: tamen cum eius animus in contentione exarsisset, nescio quo modo acrius, & concitator esset, quàm oporteret, a moderata veritatis ratione eò deflexit, vt non solū Sabellianam hēresim confutaret, quod bonum erat: sed etiam cōtrarium huic errorem inueheret, id quod non minus malum erat, quàm hēresis ipsa Sabelliana. Nā ex eo errore nata fuit lues illa Arriana, quę postea totum fere Orbem terrę non sine graui Ecclesię atque religionis Christianę perniciē peruagata fuit; vt Basilius ille Magnus recte factum Dionysij compararit facto eius, qui cum surculum in horto curuum atque prauum flectendo corrigere vellet, & in eo ipso esset nimius, & faceret, vt surculus idē in contrariam partem non minus curuus esset atque



deformis. Cogitent denique mutationes illas, quæ vel bona æque ac mala tollūt, vel pro malis alia nō minus mala inducunt, quales multæ in hæc tempora nostra inciderunt, minime ferendas esse. Quippe cum a bono Ecclesiæ statu tam alienæ sint, quàm quæ alienissimæ: nec est, quã obrem hic metus infamię quemquam moueat, & ab eo, quod recta officij ratio præscribit, deterreat. Nam non, qui errorem suū agnoscit, & cōfiteatur, cum in eo ipso voluntati diuinæ obediatur, sed qui eundem aut nō agnoscit, aut defendit, perperam atq; turpiter facit. Aurelius Augustinus sanctissimus atque sapientissimus Episcopus cum in illa opinionū temporis sui varietate aliquoties lapsus fuisset, maluit errata hæc aperte cōfiteri, quàm dissimulare eadem, aut defendere; ne eos, qui non satis cauti essent, in errorem vllum auctoritate sua induceret. Atq; hic etsi lucubrationibus suis doctrinæ Christianę multū sane lucis attulit, nec vllus Ecclesiasticorū scriptorū plura, & vtiliora monumēta posteritati reliquit: ex omnibus tamē libris eius nullus est honorificentior ipsi, quàm is, qui errores auctoris non dissimulāter aperit. Neque enim qui veritati cedit, succumbit turpiter: sed dū seipsum vincit, gloriosissima victoria potitur. Quæ cū ita sint omnia, ad eam officij nostri rationem omnes omnium partiū Germani excitemus nos ipsos, vt sublato tādē schismate cōcors sit omniū de religione sensus; nec patiamur nos ab hac ratione vllō peruerso animi motu deduci. Et quãq; hæc, quę ad cōmunem nostrā vtilitatē

ac salu-

ac salutem vehemēter pertinēt, magnos animis omniū motus afferre debent: tamen si qui forte quieta consilia repudiauerint, maluerintquē litigare, quàm cōmuni cōsilio Ecclesiā atq; Rempub. iuuare, nos qui publicis Ecclesiæ muneribus fungimur, nos inquā, officium erga eandem atq; patriā nostrā prætermittere minime debemus: ne si fortè hæc cū pernicie multorū conciderint, nos casum hūc præstare cogamur: & culpa nostra non ita multo minus fraudi sit nobis, quàm si ipsi admotis quasi machinis illas diruissemus. Quo magis elaborem, vt si nō cū alijs, tamen seorsim Ecclesię cōmuni quasi incēdio cōflagrāti, quantū in nobis est, succurramus. Ad quā rem bene vtiliterquē cōficiendā tanto plus facultatis suppetit nobis, quāto minus ea omnia Ecclesiæ nostrę desunt, quę ad eandē vel repurgandā vel excolendā sunt accōmodata. Habet hæc verbū Dei, & scripturas diuinitus inspiratas; habet illū sanctorum Doctorū atq; Ecclesiæ Catholicæ de dogmate veritatis sensum non obscurū, habet deniq; mores inueteratos, eosq; ab omnibus Ecclesijs approbatos. Ac si quid fortè horū alij cœtus habēt, id totū ab illo nostro veteri, vnde orti fuerūt, initio, quasi per manus traditū acceperūt. Hæc ipsa si peruestigauerimus nos, erit in p̄clui, vt de omnibus ijs, quæ religionis sacrosanctę sunt, sine errore iudicemus; ac vera a falsis, bona aut̄ a malis discernam. Itaq; cū in nostra potestate sitū sit, vt si velimus Ecclesiā ipsi nostrā simul & repurgare, & excolere possimus, cauendū est maxime, ne culpa officij



officij deserti nos post hac premat; néue illud Spiritus sancti in scripturis, *Vae pastoribus, qui pascunt seipfos,* nobis iure exprobari possit. Suscipiamus igitur animos dignos munere nostro; corrigamus ante nostra, quàm aliena vitia; atque operam demus, vt nec prauis atque peruersis moribus, nec vlli pernicioso errori locus in Ecclesijs nostris relinquatur. Sed omnia ad gloriam Domini nostri IESV CHRISTI & salutem hominum ita referatur, vt in Ecclesijs eisdem vigeat pietas, vigeat disciplina, vigeat concordia. Hunc certe conatum nostrum, eumq; pie susceptum, Deus, qui consilijs quietis atq; salutaribus fauet, haud dubie approbabit; eiq; talem, tanquam bonum euetum adiunget, vt non solum amicis nostris atq; socijs satisfacere, sed etiam aduersarios nostros placare possimus.

Quamquam autem si schisma illud sublatum fuerit, in posterum non solum Ecclesiæ, sed etiã Reipub. status melior erit procul dubio, tamen ne quid eorũ, quæ ad institutum nostrum pertinent, prætermittam, ciuilem etiam rationem, qua Respublica nostra fulciatur, subiungam. Ac primo quidem ostendam, quo modo remota corruptela morum disciplina vetus, eaque honesta, restitui tandem possit. Quod tanto fuerit necessarium magis, quanto minus, quæ nõ bene morata est Respub. bona, tranquilla, atque beata esse potest. Deinde de pace ipsa atque concordia Germaniæ nostræ afferam, quæ mihi videbuntur ad rem pertinere. Ad extremum, quo pacto Respub. nostra non solum refi-

ei, sed etiam ornari atque amplificari possit, docebo.

Atque ut mihi quidem videtur, ea demum Respub. optime constituta esse, in qua ciues faciunt sua sponte, quod bonum est, & cum officio recto coniunctum. Est igitur Plato ille philosophorum facile Princeps leges, quæ supplicia in sceleratos constituunt, probat: his tamen eas, quæ homines ad virtutem adducunt, & ita formant, ut præmio potius quam pœna digni sint, anteponit. Esset quidem optandum, ut patria nostra hoc tantum legum genus, quo regeretur, desideraret. Quod sane contingeret, si homines nostri caritate atque Spiritu sancto tantum ducerentur; sed quia cum imperfectioribus, quorum multi metu continendi sunt in officio, viuitur, certe ut bonorum virtus alēda est præmijs, ita improbi a scelere pœnis propositis sunt deterrendi. Neque enim ignotum est illud Solonis, *Duabus rebus, præmio & pœna Respub. contineri.* Sit igitur in Repub. nostra constitutum: Ut qui leges publicas violant adulteri, sacrilegi, calumniatores, perfidi, latrones, seditiosi, peditores, perduelles, non solum omni honoris aditu intercludantur, sed etiam eo, quem fortè obtinent honoratiorem, loco moueantur. Nec moueantur solum loco eodem, sed ex ipso etiam hominum coetu prorsus eiciantur: homines non digni, qui cum hominibus viuāt, ipsi nimirum ab omni hominum societate tam alieni. Rursus qui Reipub. vtilem nauant operam, hi ornentur præmijs; & in eo honoris gradu collocentur, ut quanto meliores sunt ciues, tanto beatius viuant, &



vberiore[m] virtutis suę fructũ consequantur. Atq; hæc  
 præclara, quæ Imperator noster in Rempub. inducere  
 potest, idq; approbantibus bonis omnibus, procul du-  
 bio egregiã afferet vtilitatem rebus nostris; & id plane  
 efficiet, nihil vt videatur in Germania nostra miserius  
 esse, quàm turpiter viuere, & patrię nocere; & nihil vi-  
 cissim beatius, quàm bene honesteq; viuere, & de eadẽ  
 patria bene mereri. Quã rationẽ cũ olim in Rempub. La-  
 cedemoniorũ cõstituẽda sibi pposuisset Lycurgus ho-  
 mo prudētissimus, id quidẽ effecit, vt quos hæc genuit  
 set ciues, vtiles essent patriæ; & mallent honeste mori,  
 quàm turpiter viuere. Ex hac igitur multo plures, q̃  
 ex vlla alia Greciæ ciuitate boni atq; fortes ciues pro-  
 dierũt. Quo melius fecerimus nos, si hos: si hos dico?  
 immo si patres atq; maiores nostros, q̃ honestatis ma-  
 gnã semper rationem habuerũt, & nõ multo minus  
 bonis legibus, quàm illa Lycurgi fuit, seipsos deuinxerunt,  
 imitati fuerimus. Ac si vlli, certe nobiles nostri  
 atq; Principes viri, qui in oculis hominũ viuũt, & alijs  
 vel bono, vel malo sunt exẽplo, ad omnes recti officij  
 partes excitãdi sunt. Quib<sup>9</sup> nõ solũ fraudi sit cõtra,  
 quàm leges publicæ præscribũt, facere: sed etiã animũ  
 ac mores non ita excolere, vt Reipub. vsui esse possint.  
 Nã q̃ hoc officiũ suũ negligũt, non solũ perperã fa-  
 cere, verũ etiã Rempub. cuius cõmodis seruire & con-  
 sulere debent, prodere quodam modo videtur; vt scri-  
 ptũ est ab Xenophonte homine doctissimo. Huc ac-  
 cedat censura illa, cuius a me ante mentio facta est, vt  
 quo

quo quisque maiore ornatus est dignitate, eo grauiore infamiæ genere notetur, si fortè in flagitia inciderit. Atq; hoc præclarū disciplinæ vinculū vtinā aut nunquā e Repub. nostra sublatū fuisset, aut primo quoq; tēpore restitueretur. Quod ipsum nobiles atq; Principes viri si dignitatē suā tāti faciunt, quāti facere debent, ita ipsi renouēt, vt sceleratos ordine suo moueāt; nec patiātur horū quasi contagione alios, qui ordinis sui sunt, cōtra quā decus commune postulat, infici atq; contaminari. Iā vero vt non solūm scelerati metu pœnæ terreātur, sed bonorū etiā virtus præmijs acuat: certe bene meriti de Repub. in publicis cōuētibus ornētur, & extent præclara quædā in Repub. nostra insignia virtutū. Quod quantam vim habeat nō solūm ad homines in officio cōtinendos, sed etiā ad excitandas horū virtutes & actiones laudabiles, multa omnium ætatū exēpla illustria ostendūt. Atq; hæc, quæ de præmio & pœna a nobis posita sunt, non in eas angustias concludimus, vt ad nobiles & Principes viros tantūm pertineant: sed tā late ea patere volumus, vt vniuersus populus præmio inuitetur ad virtutē, recte q; facta, & pœna a delictis atq; flagitijs deterreatur. Sit igitur Res pub. nostra ita cōstitutā: vt in hac posthac bonis vtile sit, atq; honorificū viuere honeste & patriam ituare; sceleratis autē calamitosum, malefacere ac patriæ nocere. Cogitemus quantum virtus maiorum nostrorum ipsis atq; Germaniæ nostræ existimationis bonæ pepererit. Qua nimirum virtute illi ita se exteris genti-



bus commendauerunt, vt cum quædam harum ciuitates constituere vellent, euocarint homines nostros, eosque gubernaculis illarum admouerint. Hos nanque tanti fecerunt, vt ab eis regi ducerent beatum esse; neque id iniuria. Nam in quibus ipsi & Pannonum, & Sarmatarum, & Transiluanorum ciuitatibus domicilia sua collocarunt, has ita administrarunt, vt præ ceteris earundem regionum ciuitatibus florent. Quod si maiorum nostrorum mores boni tantum profuerunt exteris gentibus, quanto maius erit nunc dedecus nostrum, si ob vitia, nescio quæ, non modo non exteris amplius, sed ne nostris quidem profuerimus. Cum profertim eius rei, qua patriam iuuare possimus, conficienda non ita difficilis sit ratio, dum modo & nostra, & maiorum nostrorum instituta bona, quæ partim moribus inueteratis, partim vero decretis conuentuum nostrorum publicis continentur, custodire, quam rebus nouis, & ijs quidem noxijs, studere maluerimus. Sed hæc hæctenus de moribus hominum nostrorum; nunc vero de pace atque tranquillitate. Constat discordiam & factiones esse grauissimas illas Rerumpublicarum pestes, quibus res magnæ non minus atteruntur, quam concordia & coniunctione ciuium parua crescunt. Nam ille quamdiu in ciuitatibus atque Rebuspublicis versatur, tamdiu hæc ita agitantur, vt sint profus miseræ. Dedit huius quidem rei documentum Respublica nationis nostræ ante quam constitueretur, & in unum quasi corpus coalesceret. Quæ postea pro ea, quæ contrarijs attributa est, vi, tanto

tanto magis in concordia suo statu effloruit, quāto ante calamitosior fuerat. Et quāquam si schisma, de quo iam egimus, ex Ecclesia tolleretur, omnia nobis ad pacem atq; concordiam essent facilia: tamen si qui fortè cupiditatibus suis indulgere, quā pīis atque quietis consilijs parēre maluerint, ratio certe ineunda erit, vt si non caritate, metu tamen pœnæ ad officium reuocentur. Nihil æque discordiam atq; factiones alit, ac vis atq; iniuria: dum qui aut pari sunt potentia inter se certant, aut potentiores eos qui imbecilliores sunt conātur opprimere; hi autē se atq; fortunas suas opibus aliorum tueri student. Quo magis cauendum est, ne leges, quas maiores nostri de pace publica tulerunt, antiquentur; néue locus in Repub. nostra sit ijs, qui malūt vi agere, quā legibus: homines nō digni, qui cum hominibus viuant, quando ad ipsam belluarum immanitatē ita sese abijciunt. Vigeat igitur iudicium illud, quod primū Maximilianus Cæsar ita cōstituit, vt in eo non minus facilè ius suum infimi obtineāt, quā summi; & hi si in leges publicas inciderint, non minore seueritate, quā illi plectantur. Vigean leges publicæ, & summos atque infimos æque teneāt; id quod ad concordem Reipub. statum tanto erit apertius, quanto contrarium eius causam dat maiorem odijs, maleficijs, motibus. Ac quo maius Reip. nostræ sit præsidium in legibus, ac iure contra factiones, seditionesq; , caueatur iterum ne cui hominū nostrorum liceat aut suo, aut alieno nomine in Germania militē



scribere, nisi huius rei Imperator ipse auctor factus fuerit, aut forte ei, qui militem scribit defensionis causa, bellum sit gerendum. Ac quoniam callidi homines vim, quam alteris inferunt, sub specie defensionis excusare solent, intra quos fines ius huius consistere debet, decernendum videtur; nec minor in eos, qui Legi de pace fraudem faciunt, quam in eos, qui hanc eandem non dissimulanter violant, poena sit constituta. Ac quia leges inanes fuerint, nisi sint qui, quod praescribunt eadem, exequantur, renouetur illa Reip. nostrae sanctio, ut quicumque possunt iniuriam ab ijs, quibus vis publica infertur, depellant & turbulentos coerceant; & si moniti officium hoc suum non fecerint, non multo lenius, quam ij qui pacem turbant, multentur; quippe cum non minor sit culpa eius, qui non ab alijs iniuriam propulsat, cum potest, quam qui eandem infert. Iam quia priuata quorundam foedera, eaque; ita contra omnes iacta, ut ne Imperatorem quidem exciperent, factiones fouerunt antehac perniciosas: & mores nostros ita peruerterunt, ut cum ante seditiosi communi omnium nostrum consilio, atque ope coercerentur, per foederatos illos aliquandiu steterit, quo minus id effici posset. Quo ipso quantum detrimenti Respublica ceperit, huius quasi vulnera declarant, & ante oculos omnium ponunt. Itaque Lex illa Maximiliani, quae, ut ante a nobis dictum est, vetat, ne qui foederibus huiusmodi vel cum hominibus nostris, vel cum exterarum gentium Regibus se villo tempore iungant, renouanda

uanda est. Renouandum est item illud saluberrimum  
Legis de pace publica caput, quod constituit, vt cōmu-  
ni omnium ordinum ope arma e manibus seditioso-  
rum extorqueantur; & eò quidem maiore cum seueri-  
tate, quòd quidam eorum, quos minime oportet, &  
milites nostri in ista Reipub. nostræ quasi nocte diu-  
turna assueuerunt populari patriam, ex huius præda  
sibi rem parare, & in ista sua armorum licentia spem  
libertatis, nescio cuius, ponere. Viuimus cum homi-  
nibus bellorū appetentibus, quos nisi pietas Christia-  
na ad mansuetudinem flectat, malunt potius rem ad  
arma deducere, quàm æquo cū alijs iure viuere. Quo  
etiam minus illi, qui sine iusta vllius auctoritate fiunt  
militum concursus, ferendi sunt; eò quòd & nationi  
nostræ infesti sunt, & magnis motibus caussam præ-  
bere videntur. Solent quidem e malis moribus bonæ  
leges nasci, atq; hæ tū ferri solent, cum laboratur maxi-  
me; verum nobis, vt pestes illas, quæ Rép. nostrâ per-  
turbant, tollere, atq; eam in statū, vnde decidit, quie-  
tum atq; concordē restituere possimus, non est neces-  
se nouas ferre leges, sed quas habemus veteres retine-  
re, tueri, custodire. Ad quod ipsum tãto nos magis ex-  
citare debet officium nostrū, quanto turpius atq; mi-  
serius fuerit nos vel hanc labefactare, vel deserere, &  
in ea nobis ipsis tantum periculorum conflare. Quo-  
ad cōcordes fuimus, virtus, atq; arma nostra præsidio  
fuerunt cum singulis nobis, tum Reipub. cunctæ &  
hostibus nostris terrori; sed nunc sublata concordia  
atque



atque beneuolentia, nec nobis atque patriæ hoc eius  
 asperrimo tēpore opē ferimus, nec, vt ante, terrori su-  
 mus maleuolis, sed ludibrio: dū putant se artibus suis,  
 quod conantur, efficere posse, nimirum vt nostris con-  
 filijs, nostris armis confecti, fractiq; concidamus. Nec  
 est, cur hic quærat reliqua; cum vobis ignotæ nō sint  
 plagæ illæ, quas dum hominibus, nescio quibus, ijsq;  
 de nobis male cogitantibus, gratificamur, non ita pri-  
 dem accepimus. An non hac lege nati sumus, vt ma-  
 gnam nostri partem patria sibi vindicet? At nunc sunt  
 in Germania nostra, qui malint vim atque manum  
 patriæ huic suæ afferre, quàm exterarum gētium vim  
 atque iniuriam ab ea depellere. Hoc malum, vt fuge-  
 re, & maculam hanc atq; dedecus, quod certorum ho-  
 minum culpa contraxit, e nomine nostro, quàm pri-  
 mū delere possimus, nihil hic aliud dicam ego, quàm  
 quod a nobis omnibus salus publica impetrare de-  
 bet; vt quas gerimus simultates inter nos, deponamus  
 quàm primum; & posthac singulari animorum con-  
 sensione resistamus factiosis illis, & patrię laborāti suc-  
 curramus. In ea incidimus tempora, vt hostem post  
 homines natos potentissimum truculentissimūmq; a  
 ceruicibus nostris non sine graue periculo nostro ar-  
 cere queamus; etiam si coniunxerimus omnes copias  
 nostras, & communem patriæ nostræ defensionē gna-  
 uiter susceperimus. Itaq; nisi deserimus factiones ipsi  
 nostras fouere, & nobis ipsi infesti esse, quid tandem  
 futurum erit nobis? ac si studio partiū incitati ijs, qui  
 e ruinis

e ruinis nostris crescere cupiunt, obsequi, quàm idem de Repub. nostra sentire, eamq; iuncta opera tueri maluerimus, an nõ hanc magna cum infamia nostra deserere, deserere dico? immo prodere videbimur. Quare si nobis patria, si salus publica cara est, vt debet, ad eam curam incumbere nos oportet, vt quacunque ratione possimus omnia, quæ discordiæ atq; factionibus materiam subijciunt, e Repub. nostra primo quoque tempore tollamus; & communi Ordinum sumptu tale in ea præsidium collocemus, vt coerceri facite possint, qui leges vi atq; armis perumpunt: nec æquo cû popularibus suis iure viuere volunt. Ac si qui fortasse a quietis consilijs abhorreât, & discordia magis quàm pace delectentur, nec velint de suo suppeditare, vnde præsidium illud alatur: inueniuntur tamen non pauci omnium Ordinum viri boni, qui quanto magis otio atque publicis rationibus nostris fauent, tanto minus consilia factionis ferenda putant; hi certe nec patriæ, nec sibi deerunt, sed quantum debebunt, conferent in eam rationem, vt præsidium, quo de agimus, perniciosis certorum hominum conatibus opponi possit. Ac si leges apud nos tantum valuerint, quantum debebunt, & fuerint, quæ defendant innocentes, seditiosos autem comprimât, habebimus breui Rempub. quietam ac tranquillam; & factiosi legibus ac armis bonorum territi consilia sua, eaque Reipub. perniciofa, mutare cogentur. Sed de ijs, quæ ad cõcordiam, & pacem publicam pertinent, satis iam dictum sit; si



quod vnum addendum est, non prætermisero, nimirum rem pessimi exempli non ita pridem in Germaniam nostram inductam esse, vt leuissimis quibusq; nebulonibus liceat bonorum virorum nomina non solum sermonibus, sed etiam scriptis conscindere; & quorum constantia, virtus, & fides erga Imperatorem nostrum atq; Rēp. perspecta est, & quasi in illustri loco sita, eos acerbissime calumniari; commendare autē in vulgus seditiosos, vt quantum in eis est iam non tam fraudi sit malis perperam facere, quàm bonis in officio permanere. Quod quanto minus ferendum est, tanto maiore seueritate in auctores facinoris tanti, eorumque fautores statuendum esse videtur. Verum quia ea, quæ Reipub. intersunt, constitui non facile possunt, nisi Princeps noster auctoritatem potestatemque iustam recuperarit: de hac ipsa, quod me postremo loco facturum ostendi, nunc dicam, atque hanc Orationem eo libentius ingrediar, quod ea se nobis offerunt, vt non solum potestas illa recuperari facile, sed per eam patria nostra ornari, & Imperium feliciter sane propagari possit. Et quoniam quæ afferam ego cum salute patriæ atque vniuersi Orbis Christiani coniuncta erunt, spero rem ipsam a vobis impetraturam esse, vt Orationem hanc meam non inuiti sitis audituri. Ac primo quidem si concors atque quieta esset Respub. nostra, nec exteræ nationes tot ac tanta pericula nobis atque vniuerso nomini Christiano conflarent, minus esset causa, cur

sæ, cur in Repub. nostra maiorem Imperatoris potestatem desideraremus. Sed quia in eadem viuunt homines quidam factiosi, & tales, vt nisi potestate aliqua maiore a consilijs perniciosis deterreantur, nec legibus obediunt, nec patriam perturbare desinant: & cum Turcæ, ac quidam vicini nostri id agant, vt Imperium nationis nostræ, quod idem Romanum est, aut transferatur aliò, aut funditus intereat, & nos non solum hoc insigne ornamentum nostrum, sed etiam libertatem amittamus: certe alterutrum horum euenire necesse est, vt vel Imperatori nostro maior potestas adiungatur, vel Respub. nostra intestinis motibus & exterarum gentium armis confecta ipsa pereat. Hoc si accideret (quod tamen omen Deus perbenigne auertat) non ita multo post reliquæ etiam Christianæ gentes ruerent. Est enim Germania nostra illa quasi arx, in qua Orbi Christiano & oportunitate loci, & militum copia atque fortitudine tantum est præsidij, quantum in nulla alia natione. Nam cum Imperium in ea sedem suam quasi in medio Christianarum gentium posuerit, & vicina sit Italiæ, Galliæ, Pannoniæ, Sarmatiæ: certe in quamcunq; harum nationum hostes Christiani nominis impetum fecerint, noster ei miles subuenire subito atq; commode potest. Quod quâto nationibus illis pl' auxiliij ferre potest, tâto plus piculorum eisdem esset, si hostes illi Germania nostra potiretur. Nisi quis fortè putat hos eosdem cupiditates suas crudelibus nostro sanguine ita expleturos esse, vt tela ipsorum



postea sint quietura. Hoc qui sentit, eos non satis bene nouit; & ignorat Mahumeticis legibus ita vinciri, vt si parcant vlli Christianæ genti, graui se religione obstringi arbitrentur. Verum illud tamen negandum non est eos hoc tempore nostrū plus, quàm aliorum sanguinem sitire; non quod nobis oppressis deposituri sint arma, sed vt eisdē sanguine nostro imbutis sperent fore, vt reliquas Christianas nationes facilius vincere atq; opprimere possint. Quare nō solūm nostra, sed etiam omnium Christianorum interest Imperatoris nostri potestatem, atque adeo Imperium ita constitui, vt vigeat, & pristinam suam dignitatem recuperet. In quo nos quidem tenuiore etsi aliquandiu satis bene beateq; viuere potuimus, non tamen in nobis Orbi Christiano tantum fuit præsidij, quantum esse debuit, & dignitas Imperij nostri postulauit; aliâs Turcæ Bizantium non eripuissent Reipub. Christianæ, nec fines suos eò protulissent, vt iã e Pannonia, cuius bonam partem occuparunt, ceruicibus nostris imminere videantur. Fuit antehac nobis atq; cunctæ Europæ perhonorificum cum istis in Asia ipsa bella gerere, & faucibus horum exterar gentes eripere. At nūc (prō Deus immortalis) res nostræ eò reciderunt, vt nō in Asia amplius, sed in finibus nostris cum eisdem pugnare cogamur. Quo magis potestati Principis nostri, atque adeo Imperio fauere ipsi, & operam dare debemus, vt eodem nostræ atq; Christiani Orbis res contra communes hostes bene muniantur. Imperia quæ

vi constāt, & populos duriore seruitute premunt, minime probo; illa autem moderata, quæ populos liberos non affligunt, sed defendunt: nec eosdem opprimunt, sed in officio tamen continent, & ab intestinis motibus auertunt, non possum non probare. Maxime si ita ferant tempora, vt necesse sit horum potentia iusta aliorū vim iniustam & crudelem frangi. Vt enim iniustum Imperium, quod seruitute homines opprimat, perhorrescendum est, ita bonum atque iustum, quod liberat eosdem atq; defendit, expetendum. Inciderant in illud Iudæi, cum ab Assyrijs capti seruitutis durissimæ vinculis constringerentur: sed postea tamen Cyrus, quem Deus ipse excitarat Imperatorem iustum, iugum hoc a cervicibus illorum deiecit. Quo tēpore animaduersum fuit imperia iusta & approbari diuinitus, & hominū generi multum conducere. Quare nolim in natione nostra Imperium tale, quale & Assyriorum fuit, & hoc tempore Turcarum est, existere. Maxime tamen volo tale Imperium, quale priscis temporibus Cyri, & postea Caroli, Othonū, Henricorum, & Federicorum nostrorum fuit, restitui. Nolo nos Germanos, nos inquam, per quos alij liberi esse debēt, libertatem nostram pristinam amittere. Sumus profecto, sumus in eum locum deducti, vt statuēdum sit nobis vtrum hoc tempore, quo tantis procellis iactamur, malimus seruire turpiter, aut perire; an Principem nostrum maiore, & ea cum potestate esse, vt maximorū periculorū metu nos liberare, atq; dignitatem



nostram tueri aut instaurare recte possit. Ad quod  
 ipsum ante etiam nobis oportunitates quædam bo-  
 næ fuerunt, sed tamen nec maiores nec meliores, quàm  
 hoc tempore; ut si quod necessarium est rebus no-  
 stris, & tantum commodorum afferre potest, negle-  
 xerimus, ipsi a nostra atque publica Germaniæ no-  
 stræ salute simus plane auersi. Principio constat Im-  
 peratorem nostrum e publico Reipub. nostræ non ha-  
 bere, vnde ipse ac familia eius commode viuere possit;  
 Abundare autem singularum regionum nostrarum  
 Principes, atq; Magistratus: ad eosquæ tantum bono-  
 rum, atque fortunarum fluere, ut non solum commo-  
 de, sed etiam laute atq; cum quodâ splendore viuere  
 queat. Quod quale sit, & quantum de Imperatoris exi-  
 stimatione atque auctoritate detrahat, non facile di-  
 xerim; certe alterutrum horum vsu venire necesse est,  
 ut aut Imperator noster ab ijs, qui in potestate ipsius  
 esse debent, contemnatur, ut nunc tempora sunt, &  
 mores: aut damna hæc Imperij patrimonio suo, si  
 quod habet, vberius quoquo modo sarciat. Quo-  
 rum alterum non potest non nocere Reipub. alterum  
 vero eidem tanto minus commodum est, quanto di-  
 ligentius ea, vnde multum emolumentorum ad nos re-  
 dit, quàm tenuia, si quæ habemus, curare solemus.  
 Quare ut Imperator noster e publico nostro tantum  
 utilitatis atque emolumentorum capere possit, quan-  
 tum oportet, si suaderem Principibus Magistratibusquæ  
 eiusdem Reipub. nostræ, ut quæ vectigalia publica Im-  
 perij

perij ad se transtulerunt maiores ipsorum, ea restituerent, atque ita censum Principis sui ad cōmunem omnium vtilitatem auerēt, non esset profecto, cur quisquam consilium hoc meum reprehendere deberet. Etenim si Longobardorum Principes cum primum regnum suum constituerent, de suo, quod publici iuris nullo tempore fuerat, in publicum tantum contulerunt, vt Rex eorum cēsum honestum habere posset: quanto æquius esset, vt nos Imperatori nostro redderemus, quæ maiores eius aliquando habuerunt? Sed quia verisimile nō est Principes, Magistratusq; nostros a iure inueterato spōte sua decessuros esse, & passuros, vt res tanti emolumenti a se auferantur, ne detur causa motibus periculosis: satius esse cēseo institui vectigalia noua ad vtilitatem Imperatoris nostri, quàm vetera restitui. Cum præsertim populis non æque graue fuerit pendere vectigal nouum, quàm Principibus atque Magistratibus sua, quæ multum vtilitatis afferunt, vectigalia amittere. Ac mihi quidem videtur populis, atque adeo cunctæ Germaniæ vectigal illud eo minus molestū futurum esse, quòd singulorum rationes publicis commodis ita contineri videntur: vt quanto Imperator noster plus poterit, tanto singuli Reipub. nostrę ciues & quietius viuere, & e bonis eiusdem facilius crescere queant. Nam quoad Imperium nostrum beatum fuit, & Imperatorum facultates amplæ, maioribus nostris aditus ad magnas cum diuitias, tum dignitates non solū domi, sed etiam in

Prouin-



Prouincijs nostris patuit. Hinc in Italia Gonzagarū,  
 Vicecomitum, Scaligerorum, Columnensium, Mala-  
 testarum, & aliarum nobilissimarum gētium fortunæ  
 atq; ornamēta. In Gallia autem Sabaudix, Salutix atq;  
 Montisferratensium Principum opes atq; dignitates  
 magnæ atque florentes. Quas ipsas gentes e Germania  
 nostra in illas sedes transtulerunt Imperatores nostri,  
 & censu atq; honoribus auxerunt. Quanto igitur ad  
 vtilitatem etiam singulorum aptius fuerit in Repub.  
 nostra virtuti bonorum talia proposita esse præmia,  
 quàm eosdem e tenuitate Principis sui ita languere,  
 vt in ipsa etiam patria non modò non amplas illas  
 bonorum accelsiones expectare quisquam, sed sua  
 ægre tueri possit. Errat igitur quicumque putat fo-  
 re, vt quod Imperatori soluet vectigal perditurus sit;  
 & non potius bene, atque vtiliter omnino collocatu-  
 rus. Verum enimvero cum Reipub. nostræ intersit plu-  
 rimum, vt non modò Princeps eius non tenuior sit,  
 quàm oportet, sed aliàs etiam tantum possit, quantum  
 dignitas eius postulat: certe quod sibi Magistratus in  
 natione nostra atque Principes singularū regionū su-  
 munt, vt populis suis quoties volunt arma imperent,  
 idem cur Imperatori publico nomine, & totius Reipub.  
 causa non liceat, equidem non video. Ac si illis li-  
 cet imperare militem, etiã si Imperator auctor nõ fiat:  
 quanto equius fuerit, Imperatorem sine consensu ho-  
 rum euocare ex omnibus Germanix regionibus mili-  
 tes, quotiescunq; vel motus intestini sedandi sunt, vel  
 Provi  
 externi

externi hostes arcendi. Quod cum nunci non liceat, nisi antè, quod agere instituit, Ordines Reipub. nostrę ratum habuerint, fit, more nescio quo, vt qui Principi nostro parère debent, eorum ipse nutum intueri cogatur. Quod quale omnino sit, malo vos tacitos cogitare, quàm ipse durius quidquam proferre. Incommo- dum certe hoc esse Reipub. nostrę quotus quisq; est, qui non intelligit? Nam cum ad res bene gerendas sæpe opus sit celeritate, quam Iulio Cæsari primo Imperatori multas atque gloriosissimas peperisse victo- rias memorię proditum est, cum primis utile erit Reipub. Imperatorem tantum in ea posse, vt sine vlla mora huic eidem succurrere valeat; nec ipsi neces- se sit tempus terere eo impetrando, quod publica salus exigit, auxilio; atq; ita sæpe occasionem rei be- ne gerendæ amittere. Ac si vnquam antehac ratio il- la fuit necessaria patrię nostrę, certe hoc tempore necessaria est maxime: dum quidam eorum, qui in consilium publicum adhibentur, maiorem sui priua- ti quàm publici commodi rationem habere solent; nec ante probant, quod Imperator petit, quàm eis re- rum nescio quarum, nec satis bonarum atq; Reipub. vtilium, licentiam concesserit. O tempora! Ad quam peruersitatem hoc etiam accedit, quod cum in milites nostros ij, qui singulis populis præsunt, Principes at- que Magistratus plus quàm Imperator ipse potestatis habere videantur, iidem milites auctoritatem huius Principis sui iustam contemnant; nec dubitent contra



hunc arma suscipere & patriæ manus nefarias afferre. O mores! olim cum disciplina vetus vigeret, qui in militiam peregrinam proficiscebantur homines nostri, semper Imperatorem atque ipsum adeo Imperium patriæ nostræ in sacramento militari excipiebant. Sed nunc in ista rerum nostrarum perturbatione inuenias multos, qui nec Imperatoris, nec patriæ vllam habeant rationem; & quorum arma non minus infesta sint Cæsari nostro atque Reipub. quàm exteris gentibus, ijsque a nobis prorsus alienis. Quod malum nisi e Reipub. nostra sublatū fuerit quàm primum, periculum est, ne ipsi nos atque patriam nostrā breui funditus euertamus. Quare si hanc beatam, & nos in ea beatos esse voluerimus, eò conferamus curam operamque nostram, vt maior sit in posterum Imperatoris nostri potestas: nec minus hic possit in cunctam Germaniam, quàm singuli Principes in singulos populos suos. Quod si euenerit, certe quod nunc non sine magno nostro damno prostratum iacet, Imperium nostrum eriget se breui, & fructus Reipub. vtilis atque salutare tandem aliquando feret. Ac si quis fortè metuat, ne si potestas Imperatoris ita restituta fuerit, libertas nostra in dubium vocetur, is sic habeat Principem non terrori esse bonis, sed improbis atque sceleratis: nec eos, qui Magistratui suo tantum tribuunt, quantum debent, sed eos, qui iustum eius Imperium recusant contra, quàm veræ libertatis ratio præscribit, facere: quando cupiditati-

peditatibus suis improbis turpissime seruiunt, nec  
 eam, quam debent, rationem salutis publicæ du-  
 cunt. Fallitur enim, quicumque libertatem suam  
 in eo constituit, vt quæ facere debet, non faciat.  
 Cum præsertim ea demum vera sit libertas, quam De-  
 us ipse præcordijs hominum inserit, vt non inuiti  
 faciant, quod officium rectum præscribit: sed li-  
 benter & legibus bonis obediant, & Magistratus suos  
 obseruent: & caueant, ne contumacia sua horum au-  
 ctoritatem conuellant. Quod quatenus homines  
 faciunt, eatenus seruitutem carnis turpem vitant, &  
 voluntatem suam voluntati diuinæ plane vera cum  
 libertate accommodant. Vellem equidem omnes  
 officium suum præstarent volentes; sed si qui fortè  
 obiecto maioris potestatis metu cogendi sint, hoc  
 per se multo erit melius, quàm concedere ipsis, vt  
 spreta summi Magistratus auctoritate faciant, quod  
 sibi libet: idque certe non minus, quàm equo fe-  
 roci iniicere frenum: quàm permittere, vt effrena-  
 tus currat quocunque impetu suo feratur. Quod  
 cuiusmodi sit, & quàm perniciosum dederunt do-  
 cumentum casus perhorrescendi, eorum qui cum Im-  
 peratorem nostrum, in cuius potestate esse debe-  
 bant, contemnere non dubitarent, eodem, quod ex-  
 citarant, belli incendio conflagarunt ipsi atque con-  
 ciderunt. Sinite me hoc loco præterire reliqua, quæ sine  
 acerbissimo animi dolore ne cogitare quidè possim.  
 Et quanquam quæ de potestate Principis nostri dixi,



æqua sunt per se, bona, & Reipub. necessaria, tamen ne  
 cui sententia hæc mea durior esse videatur, eam ita  
 moderor: vt velim potestatem imperandi, cogendi-  
 que milites ita penes Imperatorem esse, vt tamen sin-  
 gulis Principibus Magistratibusque ea, quam in sin-  
 gulos populos suos habent, potestas non adimatur;  
 dum modò ijdem non pluris faciant suam priuatam  
 quàm publicam Principis sui potestatem, nec minus  
 huic tribuant, quàm sibi a populis suis tributum ve-  
 lint. Nec tamen repugnarem, si numero militũ, quem  
 Imperator euocare possit, certus statuatur modus: vt  
 nec minor sit, quàm res postulet, nec maior, quàm vt  
 huic sine graui populorum damno stipendia solui  
 queant. Nolo item perpetuum esse, quod suadeo, ve-  
 ctigal: sed nos hoc onere leuari, simulac Imperium  
 nostrum accessione aliarum gentium atque vectiga-  
 libus peregrinis auctum fuerit. Arbitror nanque o-  
 nus hoc sustinendum quidem esse, sed ad tempus tan-  
 tũ; vt certiore atque maiore cum immunitate vi-  
 uere tandem aliquando possimus. Interea vero  
 Principes Magistratusque nostri, si libertati Germa-  
 niæ nostræ ex animo fauent, cauebunt, ne ipsi tri-  
 buto extra ordinem imperando populis suis durio-  
 res sint, quàm æquitas & libertas Germaniæ nostræ  
 ferat: vt si priuatum ipsorum commodum publi-  
 co, vt par est, cesserit, non sit, cur populi nostri se  
 hac ratione non subleuare potius, quàm opprimi  
 existiment. Nam non modò non ab hominibus no-  
 stris

stris plus quam ferre possint, exigetur: sed hi etiam  
e Republica bene constituta atque florente tantum  
emolumentorum capient, vt non facere iacturam,  
sed lucrari potius videantur. Recte igitur, ordine, atq;  
e Repub. nos facturos esse censeo, si potestatem Impe-  
ratoris nostri in eum locum restituerimus, vt siue vis  
publica in patria nostra suscepta, siue aliunde illata  
fuerit, militem omnibus Germaniæ nostræ populis  
imperare, & prouidere possit, ne quid detrimenti pa-  
tria eiusq; Imperium capiat: & habeat e vectigalibus  
suis tantum, vnde non solum viuere commode, sed  
etiam militibus suis stipendia soluere possit. Speran-  
dum est, si hæc quasi fundamenta salutis publicæ ia-  
cta fuerint, fore, vt Imperium nostrum in eum, vnde  
decidit, locum atque statum bonum breui reducatur;  
& idem ornamentum nobis insigne, alijs autem Chri-  
stianis gentibus præsidium certum sit allaturum; idq;  
tanto magis, quanto nunc tenuitas Imperatoris rebus  
communibus plus nocere videtur. Ac si non dignitas  
nostra, si non patriæ decus, si denique non officium  
summum, ipsa tamen necessitas nos adducere debe-  
ret, vt opes Imperatoris nostri ad auertendam maxi-  
mam a Repub. nostra pestem aueremus. Quippe cū  
exterarum gentium consilia perniciosā eò nos dedu-  
xerint, vt nisi Rempub. nostram ea, quam audiuitis,  
ratione primo quoq; tempore constituerimus, futurū  
sit, vt hac amissa in summas nos ipsi ærumnas incida-  
mus. Et quoniam non nostra solum, sed etiam totius



Orbis Christiani salus hoc tempore agitur, dum nos, in quorum virtute atque armis tantum præsidij est huic, periclitamur, certe quod ego hoc loco suadeo, id omnes omnium gentium viri boni haud dubie approbant. Qui tum demum se beatos fore arbitrabuntur, si vos, in quos oculos suos iam dudum conijciunt, viderint concordēs esse: atque singulari animorum consensione & Rempub. nostram tueri, & contra hostes Christiani nominis arma ferre. Quare tacita quasi voce sua nos rogare atque obtestari videntur, ne nobis ipsis, ne patriæ nostræ, ne denique Orbi Christiano hoc eius asperissimo tempore desimus. Accedit huc oportunitatis tantum ad Rempub. nostram non solum reficiendam, sed etiam augendam atque ornandam, ut meliorem, maioremque ne optare quidem possimus; hanc ipsam nisi arripuerimus auide, nos ipsos fugere, & officium rectum, quod patriæ tribuendum est, prorsus deserere videbimur. Etenim si sublatis e Rempub. nostra factionibus idem senserimus, nobis profecto, atque exteris nationibus multum spei bonæ afferetur: sed quanto plus afferetur, si maximæ Christianorum gentes fœdere certo, ac societate nobiscum coniunctæ fuerint? Talis quædam, tamque bona gentium earum coniunctio fuit, cum Carolus ille Magnus rebus nostris cum Imperio præesset. Quo tempore Christianorum potentia iusta tantum terroris Saracenis, atque alijs nationibus immanitate barbaris, atque nomini Christiano infestis iniecit, ut præclare secum agerentur,

rentur, si non dico Christianis bellum inferre, sed sua  
tueri, atque defendere possent. Quo minus cōmitten-  
dum puto, vt eam, quæ hoc tempore se offert, occasio-  
nem ad talem cum multis gentibus coniunctionem  
amittamus, idq; non sine graui damno, atq; dedecore  
nostro. Etenim dum nos inter nos similtates acres ge-  
rimus, & aliæ Christianæ gentes seipsas intestinis bel-  
lis conficiunt, communes hostes nostri interea magis  
culpa nostra, q̄ virtute sua ita creuerunt: vt hoc tem-  
pore nobis, atq; toti Orbi Christiano ab eis periculū  
summum impendere videatur. E quo ipso vt eripia-  
mur, Deus pro clementia sua infinita summam rerum  
nostrarum ad gentem Austriacam detulit: ad eam ni-  
mirum gentem, per quam quantum tribuere vellet  
Christianis gentibus declarauit; cum signum crucis e  
cœlo ostenderet tempore eo, cum Rodolpho, qui pri-  
mus ex ea familia Imperator creatus fuerat, Aquisgra-  
ni more maiorum diadema imponeretur. Ostendeba-  
tur iam tum spes bonis omnibus fore, vt imperātibus  
Principibus Austriacis gentes Christianæ respirare tā-  
dem, & metu hostiū crucis truculentissimorū libera-  
ri possent. Quæ spes ne falleret vllum, & si Imperium  
nostrum huic domui non tantum potentiæ, quan-  
tum dignitatis adiunxit, eandem tamen ita amplifi-  
cavit, vt hoc tempore plus possit, quàm omnes alij  
Christiani Reges: etiam si omnem horum potentiam  
in vnum conferas. Nam ab eo iam tempore, quo pri-  
mum Austriaci Principes in sede Imperij nostri col-  
locati



locati fuerunt, mirum est quantum, quãq; magnis rebus aucti cumulatiquẽ fuerint: primũ accessione Rhetorum, Valeriorum, Carnorum, tum Belgarum, deinde regnorum Hispaniã, Sicilia, Neapolitani, tum Bohemiã atq; Pannoniã. Omitto hĩc prudens Marcomannorum, Quadorum, Insubrum magnos populos. Hi populi, nationes, atq; regna quã late pateat per totam Europam, & quantum possint, quotus quisq; est qui nescit? Quæ cum olim ab Imperio Romano diuellerentur, quo magis vires huius attenuatæ fuerũt, eo nunc magis eadẽ firmari atque muniri videntur: quando tot regnorum, populorum atq; nationũ potentia in ea domo, quæ cũ Imperio rebus nostris præest, in vnum quodam modo coãluerit. Amisit temporibus illis Imperium nostrum, quod vi atque armis sibi olim pepererat. At nunc in ea, a qua regitur gẽte, id quod tum vi extortum fuit, sine sanguine recuperare videtur. E quo ipso quanto minus aut militum virtus, aut hominum industria sibi vindicare potest, tanto maius diuinæ benignitatis, atque beneficentiæ lumen mentibus nostris affulget. Nam cum Imperiũ Orbis terræ ab eo tempore, quo primum in natione nostra domicilium suum collocauit, & Christianum fuerit, & tale prorsus vt iniuriam non faceret alteris, sed ab eis propulsaret potius: dubitandum non est, quin huic Christianorũ siue præsidio, siue patrocínio Deus antehac semper fauerit. Itaque etsi Respub. nostra sæpe in magna pericula adducta fuit, tamẽ eam Austria-

corum

eorum Principum virtus iam diu feliciter sustentauit. Et, cum essent, qui genti huic inuiderent, omnesque neruos ad hanc oppugnandam intenderent, tantum tamen abfuit vt eandem euertere possent, vt quanto id magis molirentur, tanto illa maiore & emolumentorum, & ornamentorum accessione augetur. Carolus Dux Burgundionum, Princeps fortis atq; bellicosus, cum imperante Frederico tertio Austriaco victrices legiones suas in Germaniam nostram duxisset, atque Nouesium obsidione premeret: Fredericus autem exercitum magnum atq; bellicosum ex omnibus Germaniæ populis comparasset, quo Carolus reijceretur, certe graue quoddam atque periculosum belli incendium excitari videbatur. Verum Deus pro benignitate sua eam felicitatem tribuit Imperatori optimo, vt non solum bellum hoc sine sanguine dirimeretur: sed idem etiam cum eo, quem hostem habuerat acerrimum, affinitatem contraheret. Cuius quidem rei is fuit fructus, vt hereditas Caroli ad gentem Austriacam non ita multo post deferretur. Accesserunt tum ad pristinas huius facultates Belgarum, atq; Sequanorum populi diuites atque florentes: vt quod primo visum fuerat malo esse Frederico, id ei posterisque ipsius multum utilitatis attulerit. Et quanquam inuidi quidam certos Belgarum populos concitauerant, vt contra Maximilianum Frederici filium sese commouerent: tamen & hi motus sane feliciter sedati fuerunt, & Belgium ita pacatum, vt huius populi ab eo iam tem-



pore erga Principes suos in fide nunquam vacillarint.  
 Quid vero dicam de ea, qua idem Maximilianus affe-  
 ctus fuit iniuria, cum ei & sponsa & regio huius do-  
 talis præriperetur? Veruntamen res ita tulit diuini-  
 tus, vt hoc eius damnum magno domus suæ commo-  
 do & quasi lucro sarciretur: cum Regnum Hispania-  
 rum inclitum affinitatis iure veniret in potestaté Phi-  
 lippi filij eius, veniret regnum Neapolitanum, veni-  
 ret regnum Siciliae. Ac cum nostra ætate foederati  
 quidam, ijquæ potentes Carolum Imperatorem à  
 possessione Italiae deijcere vellent, & huic graue at-  
 que periculosum bellum inferrent: eodem tempore  
 Pannoniæ atque Bohemiæ regna Ferdinando fratri  
 eius, qui rebus nostris cum Imperio nunc præest, acce-  
 uerunt; & nostrorum militum virtute territi hostes  
 obsidionem, qua Mediolanum cinxerant, re infecta  
 soluerunt. Iam cum proximis hisce annis quidam po-  
 tentes consilia contra Carolum Imperatorem no-  
 strum, cuiusquæ filium Philippum nescio quæ &  
 Austriacæ genti, & Germaniæ nostræ perniciosâ ca-  
 ptarent: en tibi, eidem Philippo Britannia Regina at-  
 que heres nubit: & quo beneficio suo Deus clarissi-  
 mam, sanctissimamquæ feminam, eamquæ iniuria co-  
 tulerat, vt in excelsa dignitatis gradu collocaretur,  
 hanc cum eodem Philippo ad perpetuam vitæ socie-  
 taté coniunxit. Videmus iam, videmus Principes po-  
 puliquæ Germani, Deum antehac Austriacam gentem conser-

conseruasse ac ornasse mirabiliter: & tantum bonorū atque potentiaē iustæ ad eam detulisse, vt si vlla, huius certe potentia res Christianas prope ruentes fulcire possit. Et quanquam in ijs cogitationibus quæ illam quietam rerum nostrarum rationem, procurationemque complectuntur, magna cum delectatione animi versor, nihilquæ opto magis quàm vt eedem res sine sanguine & seruari & amplificari queant in perpetuum: tamen quia, vt nunc sunt tempora, optare id facilius, quàm sperare possum. Certe vt maiore in modum lætor e nationibus, populisque Christianorum tantas accessiones ad potentiam gentes illius eo iure, quod omnes gentes approbant, factas esse: ita nō possum non gaudere Imperatores Austriacos sæpe signa dedisse fortitudinis cuiusdam excellentis, atque bella multa & gessisse ipsos feliciter, & confecisse, quoties vel Barbari domandi essent, vel alij hostes frangendi. Quibus sane profligatis & Insuabres & Ligures, qui a nobis fuerant auulsi, recuperavit idem Imperator noster Carolus. Regnum autem Tuneti, quod e manibus Turcæ singulari virtute excusserat, Hispaniarum regno adiunxit; & eundem hostem in Pannonia ita terruit, vt armis nostris lacesitus pugnandi potestatem non faceret, sed subduceret sese, ac trepidus pedem referret. Iam vero Ferdinandus, qui fratri optimo optimus Imperator successit, & hoc tempore summæ rerum nostrarum præest, quantum pietatis cum virtute summa coniunxit! Cuius iusti-



iustitia, prudentia, temperantia, vigilantia atque fortitudo in illustri quasi loco sitę omnibus bonis perspetę sunt, & vno omnium ore celebrantur. Qui nō solum in rebus secundis fuit semper animo moderato, sed etiam in aduersis constanti atq; magno: vt fortunam, si quando iniquior esset sibi, vincere videretur. Qui cum alijs in rebus de nobis bene meritus est, tum quod tam diu impetus Turcę potentissimi atq; truculentissimi hostis solus sustinuerit, eosq; a ceruicibus nostris depulerit, meritus est optime. Ac quia idem ille hoc agit perpetuo, in eoq; est plane totus, vt rebus nostris languentibus mederi possit: certe nihil æque optandum esse videtur, quàm vt euentus optimus optimi Principis consilijs tandē aliquando respondeat. De Philippo autem Caroli filio eodemq; Rege Hispaniarum quid dicam? Qui ita viuit, & sic segerit, vt in eo paterne virtutis spem boni omnes collocent. Ad cuius liberalitatem, prudentiam, atq; iustitiam excellentem tantum fortitudinis specimen iam accessit, vt eum omnes gentes admirentur, & in oculis quodam modo ferant; hic cum non ita pridem Regem potētissimum vicisset, se tamen ipsum maiorem cum gloria vicisse videtur: cū victoria ea vteretur tam moderate, nihil vt sumeret sibi insolentius, sed omnia ad honorem Dei, vnde omne bonū proficiscitur, more maiorum suorum referret. Tali pietate qui præditi sunt, hos Deus fouere, & ad eos plus, quàm ipsi optant, deferre consuevit. Maximilianus autem  
Ferd-

Ferdinandi Imperatoris filius & Bohemorū Rex, cū absēte Carolo Imperatore Hispanias regeret iuuenis, quā illustria virtutis signa dedit? q̄ bene gessit omnia? vt gentium illarum voluntates sibi conciliauit? In rebus autem Pannonicis non minor eius virtus eluxit. Nec Ferdinandum eius fratrem præterire hic possum. Qui & regnum Bohemiæ singulari prudētia administrat; & vbi superiori anno exercitum in Pannoniam contra hostes Christiani nominis bellicosissimos duxerat, eum existimationis bonæ fructum cepit, vt ei neque consilium neque fortitudo ad res optime gerēdas deesse videretur. Porro Carolus Ferdinandi Imperatoris filius, qui etsi minimus natu est inter fratres, non tamen in eo minorem virtutis spem boni omnes ponunt. Quippe cum eiusmodi, tamquē excellentis sit indolis, vt ad res maximas natus esse videatur. Ex his omnibus constat gentem Austriacam tantū & potentia & virtute hoc tempore excellere, vt ad Imperium Orbis terræ, & summum decus genita esse, & Deus per hanc, quam tantopere auxit, rebus nostris fessis atque afflictis nunc tandem succurrere velle videatur. Ac cum singula Christianorum regna vim atque impetus Turcarum ægre sustinere possint, nec Reges illorum inter se ita iuncti sint, vt alius alij opem ferat: est profecto quamobrem Deo immortalī magnas gratias agamus, quòd hisce difficillimis temporibus nostris ad gentem illam, quę cum Imperio Germaniæ nostræ præest, tantum potentiæ atque iusti



Imperij detulerit, vt Turcarum potētiae recte atq; vtiliter opponi possit. Etenim si omnes nationes atq; populi, qui in potestate sunt Imperatoris nostri, & Philippi Hispaniarū Regis cum ijs, quibus Turca in Europa, Asia, & Africa imperat, gentibus contuleris, vt hęc vincant hominum numero, illæ tamen & virtute militum, & armorum genere his eisdem lōgo interuallo antecellere videntur; nisi quis forte putat Germanos nostros, Italos, Hispanos, Pannonos, Bohemos, Belgas cedere Asiatico, quo Turca potissimum abundat, militi: & naturā eos, qui Septentriones spectāt, non magis ad fortitudinem animorum, corporumquē robur finxisse, quā illos, qui sub cælo viuunt calidiore. Et quanquam copias quasdam nostras Turcæ aliquoties affligerunt, eas tamen victorias nec incruetas, nec sua magis virtute, quā nostra culpa ipsis partas fuisse, præclare intelligimus. Quippe cum parue manus militum nostrorum maximis atq; robustissimis horum legionibus et tirones veteranis obijcerētur: vt si nulla alia culpa in nobis hæsisset, temeritatis tamen iure dānamur. Volo equidem nos primo omnium ad Deum confugere supplices, & nos totos benignitati eius credere atque committere. Situm est enim in potestate eius summa maximos atque robustissimos hostium exercitus parua nostra manu fundere atque delere: quod Gedeoni, eiusque exercitui priscis temporibus diuinitus contigisse memoriæ proditum est; & Maxiliano Cæsari nostra memoria sæpe cōtigisse nos ipsi testes

testes esse possumus. Etsi igitur desperandum non est, si fortè hostis nos militum multitudine vincat, dum modo cetera, quæ ad rem bene gerendam pertinent, non minus defint: quippe cū res militaris magis virtute militum, quàm multitudine niti, & victoria diuinitus concedi potius, quàm humana potentia acquiri videatur: tamen si exercitum iustum, eumque bene armatum contra hostem educere possimus, an non fatius fuerit hoc, quàm paucos atque inermes periculo offerre? Deus non ita pendet e nutu nostro, vt quoties rem temere in discrimen adducamus, nos arbitrato nostro iuuare, & inusitata signa potentia suæ dare cogatur. Qui conantur Deo ita præscribere quoddam modo, atque legem dare, certe & fallunt seipsos, & in leges ipsius plane committunt. Christus Dominus noster, idemque Filius Dei omnia potuit, tamen cum Sathanas ei suaderet, vt se e superiore templi parte sine incommodo suo præcipitem daret, eaque re potentiam suam diuinam declararet, id noluit, cum per gradus descendere posset. Atque hoc sui exemplo monuit nos, ne si fortè facultas eorum, quibus ordine certo & vsitato vti possimus, suppetat nobis, eam nos omittamus, & conuertamur ad ea, quæ inusitata ratione eueniunt, & miraculi cuiusdam singularis vim habent. Quò cautiore, prudentioresque esse videntur, qui cauent, ne plus spei quàm oportet, in robore exercitus sui ponant: & tamen cum possint iustum exercitum, eumque bene



bene instructum, exercitatumque habere, ne eum,  
 qui nec numero, nec virtute hostibus par non sit, edu-  
 cant. Si vllus alius, ego certe spem omnem nostram  
 in Deum conferendam puto; temeritatem tamen  
 probare nec debeo, nec possum: hoc præsertim tem-  
 pore, cum Deus nobis tribuat, vt per Austriacam do-  
 mum multū sane possimus. Fecit antehac Imperator  
 noster Carolus sæpe periculum militum, quos e Ger-  
 mania atque Hispania euocauerat; & quantum valeat  
 vtriusque gentis coniuncta atque inuicta virtus, testi-  
 monio Orbis terræ comprobatum est. Neque enim in  
 vllum locum venerunt legiones horū, in quo non sin-  
 gularis cuiusdam virtutis signa dederint: vt spes osten-  
 datur in his etiam posthac, quoad inter se conuinctæ  
 fuerint, magnum præsidium fore rebus Christianis.  
 Sed quid si Italarum, Pannonum, Bohemorum, &  
 Belgarum copiæ accesserint? Deus quando tot, tan-  
 tasque nationes, easque florentissimas eorum, qui no-  
 bis imperant, dicto audientes esse voluit, an non vi-  
 detur quoddam veluti signum sustulisse nobis ad be-  
 ne sperandum? An non videtur monere nos, ne,  
 quam potentiam iustam nostra atque omnium Chri-  
 stianorum vtilitatis causa genti Austriacæ adiun-  
 xit, eam hisce nostris calamitosissimis temporibus  
 per summam ingratitude repudiemus? Hic si,  
 quam Deus ipse offert occasionem præclaram rerum  
 nostrarum constituendarum gratis animis arripueri-  
 mus, erit in procliui nobis, vt non solū commu-  
 nium

nium hostium impetus posthac sustinere, sed etiam  
 frangere, & Imperium nostrum sane feliciter propa-  
 gare possimus. Mathias Pannoniæ Rex etsi non tan-  
 tum habebat virium, quantum Turcæ, tamen exer-  
 citu suo, quem patrum nostrorum memoria in ar-  
 mis habebat perpetuo, & e varijs gentibus coëge-  
 rat, quoties cum Turcis collatis signis pugnauit, to-  
 ties vicit, de quæ eis triumphos gloriosissimos egit.  
 Per se autem, qui equitum peditumquæ numero im-  
 pares quidem sunt, hostibus eisdem, sed fortitudi-  
 ne atque disciplina rei militaris si non maiores, ta-  
 men pares, hac nostra ætate maximas horum copi-  
 as sæpe deleuerunt. Nos vero qui tam diu Imperi-  
 um Christianorum sustentauimus, si cum tot gen-  
 tibus coniuncti fuerimus tandem, certe nec minus  
 quàm vel Mathias Pannoniæ Rex, vel Persæ hostem  
 hunc communem comprimere poterimus; non mi-  
 nus dico? immo multo etiam magis. Cum præser-  
 tim illum potentia, hos autem caussa, cui Deus haud  
 dubie pro misericordia sua fauet, superaturi simus.  
 Quæ cum ita sint, postulat officium, postulat ne-  
 cessitas non solùm a nobis, sed etiam a Principi-  
 bus Austriacis, eorumquæ populis ac Regnis, vt in-  
 ter nos perpetuo foedere simus coniuncti. Nam vt  
 nunc sunt tempora, communis est omnium nostrum  
 caussa, commune periculum, communes item ho-  
 stes. Nam qui inuidet Principibus illis Augustis, ij-  
 dem inuidet etiam nobis, nec arbitratur se vtrisque



nostrum saluis viuere posse. Et quia animaduertunt, quoad Respub. nostra salua est, se principes hos euertere nequaquam posse: nec vicissim fore, vt Imperium nostrum intreat, quamdiu ijdem illi tanta cum potentia huic praesunt: sic petunt illorum iugulum, vt nos etiam confodiant, & quam nobis afferre conantur perniciem, eandem illis etiam moliuntur. Quae cum ita sint, videmur cum gente Austriaca ita coniuncti esse, vt nec nos corruere queamus sine graui huiusdamno, nec gens eadem sine magna nostra calamitate concidere possit. Quantum autem praesidij sit eidem, & ipsius populis, regnisq; in virtute militum nostrorum, haec tempora plane declarant: cum hi & Pannonnes, & Belgas quoties opus est defendant. Quibus amissis, quid tandem futurum esset Hispanis? quid Italis? immo quid Principibus gentis illius? Ac si a gubernaculis Reip. nostrae dimouerentur hoc tempore ijdem Principes, an non in istis procellis nostris naufragium facturi essemus nos breui? an non nostris ipsi armis perituri? Omitto hic periculum grauissimum, quod externi hostes nostri nobis conflare non desinunt. Quare quod Principum illorum & nostra, omniumq; gentium quae in eorundem potestate sunt dignitas atq; salus publica postulat, vt simus oes inter nos iuncti, id omnes summo studio expetere atq; curare debemus. Ac primum Principes ipsi, quorum necessitudinem natura ita constituit, vt, si alter alteri non faueat, a seipso desciscere quodam modo, & alienus esse videatur, tato arctiore societatis vinculo

culo inter se copulentur, quanto minus vnus horum damnū ab altero seiunctū esse potest. Habent commune nominis decus, communes maiorū imagines, communia iura & sacra, & horū alij aliorū hereditatem, vt proximorum genere iure adire possunt. Quo facilius a se impetrari patientur, vt non solū ipsi inter se coniuncti sint perpetuo, verum etiā vt inter ipsos ac nos, immo inter nationes & populos omnes, quibus impertant, fœdus perpetuū sanciat. Hoc illud ipsum est, in cuius curam eo magis incumbere debemus, quo id plus commodi cum nobis, tum vniuerso Orbi Christiano allaturum esse videtur. In quo si non defuerimus ipsi nobis, certe nec Principes illi nobis deerunt; id quē tanto minus, quanto maior spes ostendetur eis fore, vt si maximæ illæ, florentissimæ quē gētes nobiscum pulcerrimā tuendi, propagandi quē Imperij Christiani societate coierint, solidos virtutis suę fructus capere, ac sibi æternā gloriam parere facile possint. Quo magis cauēdū puto, ne quę datur occasio nobis, in presentia Reipub. nostrę ornāde, amplificandę quē, eā non arripiam<sup>9</sup> atq; cōplectamur. Magnū est, credite mihi, robur, & quasi numen cōsentientis alicuius populi: at quāto maius erit tot populorū atq; gentiū cōsentientium? Et, vt mihi quidē videtur, cœtui eorū, q̄ ita sociati sunt inter se, Deus, q̄ caritas ipsa est, prestō erit in perpetuū: sub cuius tutela q̄ latent, an hos vlla hostiū vis vincere potest? Quare si tantū tribuimus nobis, tantū patriæ, tantū cūctæ Reipub. Christianę, quantū debe-



mus quo quisque nostrum magis gratia, auctoritate,  
 atque consilio valet, eo magis elaboret, ut Respub. no-  
 stra languens primo quoque tempore recreetur, refi-  
 ciatur, & in eum, unde decidit, statum bonum atque  
 beatum restituatur: id quod haud dubie eueniet, si ra-  
 tionem huius constituendæ, atque amplificandæ, que  
 se hoc tempore vltro offert, non repudiauerimus. Vo-  
 lo equidem Imperium nostrum florere, id tamen sine  
 villo incommodo aliorum Christianorum populorum,  
 immo verò magno cum commodo eorum, qui nobiscum  
 fuerint coniuncti, atque eam censeo esse oportere fœde-  
 ris, quod probo, rationem, ut nullus horum pristinam  
 suam libertatem amittat, nec in nostram, aut vllius al-  
 terius gentium potestatem concedat. Volo nos omnes  
 idem de salute publica sentire, & tanquam vnus corpo-  
 ris membra, si vnus langueat, omnes dolere: si vnus bene  
 habeat, ac rebus secundis utatur, omnes gaudere, ut sin-  
 gulorum bonum commune omnium esse videatur.  
 Volo regna illa sociorum non minus salua esse, quam  
 Respub. nostram. Quin rationem fœderis huius ita  
 constitutam cupio, ut quæ regio laborat maxime,  
 huic ab omnibus potissimum subueniatur, id quod  
 vera æquitatis ratio postulabit, atque ut ijs, quos vel  
 intestini motus, vel externorum hostium arma premunt,  
 subito possit auxiliū ferri: idque communi omnium fœ-  
 deratorum sumptu singulæ nationes illorum singulas le-  
 giones alant perpetuo, & copias illas iunctas in loco  
 oportuno collocent. Accedant ad has Bohemorum  
 atque

atque Belgarum auxilia, ac si populi hi singuli singulas legiones sustentare nequeant, sustentent tamen tantum, quantum possunt. Solet quidem quod nobis atque Christianis populis imminet discrimen a Turca grauius esse eo, in quod quidam Europæ Reges atq; populi nos sociosque nostros adducere possunt. Nam vt hi sese commoueat maxime, est tamen spes fore, vt minore negotio depellere eos, aut ita reconciliare nobis possimus; vt cum eundem, quem nos, socijque nostri Christum colant, malint tandem esse nostri amici quàm hostes, & nobiscum, atq; cū tot Christianis gentibus fœdere iungi, quàm nos atq; eandem lacescere; id quod sine grauisimo periculo suo facere non poterunt. Et quanquam hæc speranda sunt, tamen si qui fortè horum ab armis cōtra nos, aut socios nostros susceptis discedere noluerint, eam consilij rationem ineundam censeo, vt laborantibus succurratur ab omnibus fœderatis, idq; pro rata cuiusque populi parte. Magnæ enim opes ac late omnino patentes sunt Germanorum nostrorum, Italicorum, Hispanorum, Pannonum, Bohemorum, Belgarum; vt quod onus bellorum gerendorum singuli, si ab alijs non adiuuantur, ægre fortasse ferre possent, id cunctis futurum sit leue. Et quanquam rebus Christianis in virtute, robore, & multitudine militum nostrorum multum est præsidij, tamen si copiarum gentium illarum accesserint, quanto facilius non solum in Europa, sed etiam in Asia hostes com-



munes comprimere poterunt? Muniatur sane Pannonia præsidio maiore, eò quòd maior atque potentior hostis ei bellum inferre solet: ac quoties hic maioribus copijs in Regnum illud, aut vicinas gentes impetum facturus esse videtur, constituatur, vt communi omnium foederatorum ope, atq; sumptu idem præsidium augeatur atque firmetur, nec interea alijs auxilium iustum subtrahatur, quotiescunque eodem eguerint: vt foedus ipsum tanto sit stabilius, quanto eius, quod per se æquum est, maior ratio habita fuerit. Hoc loco, ne vobis ista prudentia viris præscribere videar, præteribo; quæ præterea sub deliberationem cadunt: nec dicā, quod me etiam tacete cogitabitis; atque curabitis, vt si quæ aliquibus foederatorum ab hostibus crepta fuerint, his eisdem restituantur: sin quæ præterea capta fuerint, hæc nostro Imperio, ad quod iure pertinent, adiungantur. Quod cum per se iustum fuerit, tum vero etiam æquum, vt cum Imperium Romanum penes nos sit, & res Christianorum militaris nostro potissimum milite nitatur, res nostræ tanto magis crescere debeant, quanto plus præsidij atque vtilitatis rebus communibus afferre & possunt & solent. Et quia hic tribuetur cuique genti, quod suum est, non erit profecto, cur quemquam huius nostræ iustissimæ, vtilissimæ, atq; honestissimæ societatis pæniteat. Nos autem, nos inquam Germanos eo minus huius pænitebit, quo magis & potestate, & dignitate Princeps noster cumulabitur;

vt quos antehac hostes ægre a capitibus nostris depulit, eos posthac, si opus fuerit, aut sedibus ipsorum pellere, aut intra fines eorundem comprimere summa cum gloria nostra valeat. Ac si rationibus nostris ita consuluerimus, & ad officium atque bonum publicum reuocauerimus omnia, certe Deus, qui bonis bonorum consilijs atque conatibus mirabiliter fauet, procul dubio ita nos adiuuabit, vt Respub. nostra atque totus Orbis Christianus breui reflorescant. Habetis hîc Principes populiq̃ue Germani, quæ de omnibus commodis ornamentisq̃ue vestris dicenda putauî; & vos rogo, obsecro, & per sanguinem seruatoris nostri Iesu Christi obtestor, vt si hæc videbuntur bona esse, si vtilia, si honesta, si pia, si Reipub. nostræ necessaria, ea tantum apud vos valere patiamini, quantum patriæ nostræ communis atque adeo totius Reipublicæ Christianæ dignitas, & publica salus a vobis impetrare debent. Testor Deum immortalem, qui solus abditos animorum nostrorum sensus perspicit, me consilium hoc nō aliò quàm ad communem vtilitatem atque dignitatem vestram referre; nec aliud petere, quàm quod patria ipsa iure quodam suo a vobis flagitare videtur. Quæ si vna voce loqui posset, haud dubie in hanc sententiam ageret vobiscum. Ego si a vobis hoc postularem, vt mea caussa de suo quisque vestrum privato iure decederet, vel mortem non dubiam adiret, an non hoc iure quodam modo facere viderer? Ita enim genui



vos, vt si opus sit, vitam ipsi nostram pro me profun-  
 dere debeatis. Sed quia tamen consilium, quod da-  
 tur in præsentia vobis, non solum duriora ista exclu-  
 dit, verum cauet etiam, ne bona fortuna squæ vestras  
 amittatis, neue in vllius periculi flammam vos te-  
 mere conijciatis, tanto minus id repudiare debetis,  
 quanto idem cum commodis vestris atque rationi-  
 bus siue priuatis, siue publicis est coniunctius. Ac  
 primum quia a vobis hoc petitur, vt sublatis simul-  
 tatibus sitis concordēs inter vos, & idem de Repub.  
 de religione Dei immortalis, dequæ publica salute  
 sentiatis, an non hoc illud ipsum est, ad quod si ta-  
 cerent alij, vos tamen ipsos excitare deberetis? Qui  
 nisi desieritis oppugnare vos ipsos, & me lacerare, non  
 modò non Germani eritis inter vos, nec ciues mei  
 amplius, sed inimici, planequæ hostes. Nam quate-  
 nus intestina inter vos bella geritis, mihi tanquam  
 matri vestræ manus affertis; immò vos ipsos, a quibus  
 nullum meum malum seiunctum esse potest, læditis  
 atque affligitis. Hoc loco si vobiscum expostulare  
 vellem, possem id quidem iure quodam meo; sed quia  
 libèter de eodem iure meo remitto, vt vobis parcam,  
 vos hîc moneo tantùm atque hortor, vt animos di-  
 gnos Germanis hominibus suscipiatis, & in Repub.  
 mea constituenda tantum tribuatis mihi, quantum  
 salus vestra atque publica postulat. Deponite igitur  
 similtates, si quas inter vos geritis, & in me atque  
 Rempub. meam totis pectoribus, & singulari animo-  
 rum

rum consensione incumbite. Quod ipsum & necessarium erit vobis, vt perniciem certam vitetis; & tale prorsus, vt mihi atque vobis vberimos fructus afferre queatis. Quippe cùm hoc tempore tantum possitis, vt qua parte collapsa sum non refici solùm, sed ita etiam ornari possim, vt tandem non minus, non minus dico? immo etiam magis floream, quàm Caroli illius magni atque Othonum tempore felicissimo florui. Habetis Principes, Augustos tales, vt meliores ne optare quidem possitis, qui & volunt, & possunt me iuuare; nec solùm tueri dignitatem, quam habeo ego, & vos in me, sed etiam augere atque amplificare, si modò ipsi volueritis, & a complexu ipsorum vos ipsos vestra culpa non diuulseritis. Quare si me, me inquam, matrem, quæ vos genui auditis, habetote rationem meæ atque adeo vestræ salutis; & caute, ne quæ hoc tempore oportunitas datur rerum vestrarum & constituendarum, & ornandarum, eam amittatis. In quo ipso si ita gesseritis vos, vt officium vestrum desiderare videtur, de me profecto, de vobis ipsis, de quæ vniuerso Christiano Orbe optime merebimini. Hæc si Germania loqueretur vobiscum atque ageret, Principes populique Germani, an vocem eius aspernaturi essetis? Nihil arrogo mihi, sed tamen si quod suadeo ipse, & patria nostra communis flagitare videtur, impetrauero, non erit profecto, cur vos sententiæ meæ atq;



1826934

DE REPUBLICA

consilij pæniteat; & ex officio vestro eos sane fructus percipietis, qui vobis atque Germaniæ nostræ cunctæ maximas vtilitates ac summa ornaméta allaturi sunt. Quod vt eueniat tandem, pro ea, qua patriam hanc nostram complector, caritate optare ego maxime, & supplices ad Deum manus tendere, fidem- que eius, ac nomen sanctissimum im- plorare non desino.



ANTVERPIÆ,

*Excudebat Guliel. Siluius Regius Typographus XII. Ka-  
lend. Septemb. M. D. LXII.*

THE HISTORY OF THE

ROYAL SOCIETY OF LONDON

FROM ITS FIRST INSTITUTION

TO THE PRESENT TIME

BY JOHN VAUGHAN

ESQ; OF GREAT BRITAIN

AND

JOHN VAUGHAN

OF GREAT BRITAIN

ESQ; OF GREAT BRITAIN

AND

JOHN VAUGHAN

OF GREAT BRITAIN

ESQ; OF GREAT BRITAIN



